



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,  
Explanatio Catechismi Catholici**

**Macherentinus, Johannes**

**Colon., 1612**

Capvt Tertivm. De Charitate Sev Præceptis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39397**



## CAPVT TERTIVM.

# DE CHA- RITATE SEV PRÆCEPTIS.

*Estne necesse vt pareamus præcep-  
tis diuinis?*

*Ex Metho.  
Confes.  
& Petri  
de Soto in  
eam anno-  
tationibus.  
Matt. 19.*

**O**Mnino, siquidem Dominus ait: *Si vis  
ad vitam ingredi, serua mandata: Quo-  
niam in decē præceptis legis Mosai-  
cæ omnis reuerentia diuini cultus relucet.*

*Quid in præceptis considerandum?*

Non tam considerandum est quale aut quantum sit quod iubetur, quam quantus sit ille qui iubet, & quam magna polliceatur mandata eius exequentibus: eam ob rem optimo cuique obseruanda sunt DE I præcepta: à quibus adimplendis si labor deteret, præmium inuitare debet. Omne enim opus fieri solet leue, quum eius præmium cogitatur: & spes præmij, solatium est laboris. Considera quæso magnitudinem præmij tui: si tamen considerari potest, quod immensum est.

*Quid ita?*

Post abscissum animæ, post carnis interi-  
sum,

tum, post fauillas & cinerem, in meliorem statum es reparandus, corpus tuum terrenum in cœlum eleuandum est. Si hæc serua-ueris, angelorum es donandus consortio, regnum accepturus cœlorum, & in perpetuum cum eo mansurus, qui hæc tibi obseruanda præcepit. Quem igitur laborem durũ putabis cuius tanta sunt præmia? Vt igitur ad vitam ingrediaris, serua mandata: quorũ quidem obedientiam indulgentissimus ille pater tantum à nobis requirit, pro tantis suis in nos beneficijs: sed & illa sub æternæ mortis pœna obseruanda præcepit. Nihil autem DEVS iubet, quod sibi proficit: sed illi cui iubet. Ideo verus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.

PRIMUM PRÆCEPTVM.

EGO SVM DOMINVS DEVS tuus. Non habebis Deos alienos corã me: *Exod. 20.*  
non facies tibi sculptile vt adores illud.

*Quid hoc primo præcepto iubetur?*

Præcipitur nobis latria, id est, seruitus, adoratio, honor, & reuerentia soli Deo exhibenda. Quæ fit corde, per fidem, spem, & charitatem in Deum habitam, & corpore, per adorationem, laudem Dei vocalem, la-  
*In singulis verbis præceptorum explicandis valde insignis est Catechis. Rom. quæ consulat.*  
crifi-

crificium, ieiunium, & alios gestus, cedentes in honorem Dei.

*Quenam fide credere tenemur?*

Duodecim fidei articulos explicitè, & implicitè omnia quæ sancta Ecclesia credit, & habere interiorem mentis deuotionem in  
*Iacob. 2.* DEVM, & eius sanctos propter eum. Sed quia *fides sine operibus mortua est*, sicut & opera sine fide: & fides uiua per opera comprobatur: & quia *probatio dilectionis exhibitio est operis*: idcirco præcipitur nobis, Deum adoremus & veneremur etiam actu exteriori: quales sunt capitis inclinatio, manuû complicatio, genuum flexio, pectoris tussio, laus Dei vocalis, aurium ad laudem Dei arrectio, carnis maceratio, & similes gestus.

*Eademne qua Deum benedictum Sanctos ipsos veneratione prosequimur?*

Ab sit: Sanctam enim & indiuiduam Trinitatem, IESVM CHRISTVM, sacrosanctam Eucharistiam vna & eadem adoratione, cultu scilicet creaturæ incommunicabili, venerari iubemur.

Virginem autem MARIAM honore hyperdulæ, excellentè scilicet, sed creaturæ debita reuerètia: Angelos verò, & maximè angelum nostræ custodiæ designatum, Sanctos & Sanctas honore dulæ, creaturæ scilicet conuenienti, honorare iubemur. Nec enim  
 sancti

sancti sic à nobis sunt adorandi & honorandi, vt in eis præcipuam spem collocemus, & plusquam in Deo, aut certè æquè atque in DEO. Crucem verò, signum Christi, vestimenta, clauos, lanceam, & cætera Christi tactu sanctificata; imagines Dei, & sanctorum, horum ossa & reliquias, propter eos, quorum sunt, debito honore veneramur.

*Quid Spei nomine præcipitur?*

Firmiter confidere in Deo, quod ex sua misericordia & gratia, nobis fideliter cooperantibus, æterna beatitudine nos donabit.

*Quid denique per charitatem?*

Deum super omnia diligere, sic vt nullam creaturam plus quam Deum, aut æquè vt Deum diligamus: propter quam nimirum Dei amorem & gratiam perdere velimus. Immensus enim Deus sine mensura debet amari, præsertim à nobis, quos sic amauit, sic saluauit, pro quibus tot & tanta fecit. Igitur Deus à nobis amari debet ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Totum namque hominem exigit, qui totum hominem fecit.

*Quanta est vis dilectionis?*

Verè in Canticis dicitur: *fortis sicut mors Cant. 8.*  
*dilectio.* Qui enim diligit nō abducitur blanditijs, non seducitur fallacijs, non frangitur iniurijs. Dilectio facit vt malimus animam nostram

nostram separari à corpore, quàm à Deo.  
 Hæc omnia graua & difficilia facit leuia &  
 facilia. Ideo sancti martyres omnia tormen-  
 torum genera, tanquam dulcia, non solum  
 patienter, sed etiam hilariter præ ardenti a-  
 more sustinebant. Et sancti patres in desertis  
 præ huius amoris ingenti ardore, in ieiunio,  
 fletu & planctu saporem, delectationem &  
 dulcedinem magnam sentiebant: vt êtes pro  
 alimento herbis & arborum corticibus, sic-  
 co pane, & aqua frigida, terra pro lecto, la-  
 pide pro ceruicali, & cilicio pro vestimento.  
 Qui enim huius amoris gustu inebriatus  
 fuerit, ad omne opus bonû hilarescit, dolet  
 & non sentit, laborat & non lassatur, deride-  
 tur nec aduertit. Constans enim & perfectus  
 est ille amor, vt (si necesse sit) homo pro a-  
 more illius moriatur, qui pro eius amore  
 placidè ac benignè mori dignatus est.

*Qua ratione in fidem peccemus pau-  
 cis explica.*

Primò, per infidelitatem: siue sit hæresis  
 post fidem receptam: siue sit gentium aut  
 Iudæorum infidelitas. Hi enim omnes pec-  
 catum infidelitatis peccant post auditum E-  
 uangelium.

Secundò, per apostasiam à fide, seu totius  
 fidei desertionem, atque professionem alte-  
 rius religionis. Equidem optimo enique  
 Chri-

Christiano tanta debet esse constantia, vt prius auferatur vita quam fides.

Tertiò, per magnam socordiam negligentiam ué addiscendi, cognoscendi, atque cogitandi ea, quæ fidei sunt: quæ sanè cum valdè est supina atq; notabilis, est nonnunquam graue atque lethale peccatum.

Quartò, per omissionem confessionis fidei: cum id vel ad Dei gloriam, vel ad ædificationem proximorum est necessarium. Corde enim (inquit Paulus) creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde Dominus: *Qui confitebitur me (ait) coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Rom. 10. Matth. 10.

Quintò, Multo verò grauius peccatur contra hoc præceptum, per negationem fidei, aut confessionem oppositi, quod idem est. Quamuis enim oppositum mente teneatur, veraque fides insit cordi: graue tamen atque lethale peccatum hoc est. *Fides*, inquit D. Augustin. *officium à nobis exigit & cordis & linguae.*

*Qua ratione in spem peccatur?*

Per duo peccata spei contraria: scilicet aut per desperationem cum quis aut peccatis, aut fragilitate propria deterritus, dicit cum Cain: *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear:* aut per præsumptionem, cum ultra id quod à Deo promissum est, quis sperat: vt veniam in  
pec-

peccato perseverans, aut felicitatem sine meritis. Cogitent huiusmodi Deum in mirando non minus, quam in promittendo esse veracem.

*Peccata  
contra fidē  
& spem  
habes Ca-  
techista,  
ordine in  
praxi Tre-  
viren. nu-  
mer. 9.*

Hic notandum est; Desperationem peccatis gravissimis longe esse graviorem: Prima enim salus est, declinare culpam. Secunda, eius non desperare veniam: quam qui desperat, aditum sibi obstruit ad consequendam Dei misericordiam, peccata sua eidem comparando. Quid enim aliud est desperare? Nam qui à Deo non sperat veniam, non animadvertit Dei clementiam plus posse, quam sua peccata; nec summi boni bonitatem maiorem esse, quam suam nequitiam. Itaque ille solus desperet, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est: quod cum fieri non possit, qui timet de se malo, confidat de Deo meliore. Non enim potuit tanta peccata committere, etiam si ea omnia commisisset, quæ ab origine mundi sunt commissa, quin ea **DEVS** possit remittere. Eorum enim numerus est finitus, misericordia autem & Dei bonitas est infinita, igitur per eam possunt remitti. Sed & minima gutta sanguinis pretiosi Domini nostri **IESV** Christi in passione pro nobis effusi, præponderat omnibus peccatis, quæ fuerunt ab origine mundi.

*Quot*



Quot sunt speciales & soli charitati contra-  
ria transgressiones?

Quatuor enumerantur quibus in dile-  
ctionis præceptum peccatur.

Primum, per nimium aliarum rerum  
amorem: cum aliquid vel plusquam Deus,  
vel quantum Deus amatur à nobis: vt vita,  
honor, pecunia, filius, vxor. Tenemur enim  
sic semper viuere, vt Dei amor præponde-  
ret, atq; præmineat cunctis alijs, quæ aman- Math. 10.  
tur: ita dicente Christo in Euangelio: Lucæ. 14. Qui  
*amat patrem aut matrem plusquam me, non est  
me dignus. Et qui amat filiū, aut fillam super me,  
non est me dignus.* Atq; pari ratione posset di-  
tere: qui amat æque vt me: quod alibi dicit:  
Si quis venit ad me, & non odit patrem, &  
matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & so-  
rores, adhuc & animam suam, non potest ef-  
se discipulus. Odit (ait) mei respectu, atque  
comparatione & quatenus mihi sunt illa  
contraria. Quod ad temporalia attinet, ita  
ijs vtendum, ne obsint æternis, vt in via qua  
veluti peregrini ambulamus, hoc placeat,  
quod ducit ad patriam: Mundi enim amor &  
Dei, pariter in vno corde cohabitare nõ pos-  
sunt: quemadmodum oculi cœlum & ter-  
ram nequaquam simul respiciunt.

Secundò, per odium Dei primum maxi-  
mumq; peccatum, damnatorum proprium,  
in quod desperantes atque nimium peccatis  
L assucti,

Ioa. 15.

assueti, quandoque deueniunt : iuxta illud Euangelij : *Viderunt & oderunt me, & patrem meum.* Apprehendentes enim Deum vt contrarium, prohibentemq; atque punientem suos prauos affectus, oderunt, detestantur, nollentque esse.

Tertiò, acediam huic proximam, tædium scilicet atque tristitiam, torporemque que spiritalia fastidiuntur (& quod grauius est) quo diuina ipsa ita displicent, atque amantur, vt tristemur de illis : quod vocant sancti acediam, fastidium, mentis nausecam, atque abominationem : qua præ infirmitate, gustusque deprauatione diuina Deusque ipse incipiunt displicere. Est etiam hoc cum pleno consensu rationis committitur, grauius peccatum, & non nisi perditissimorum hominum.

Postremò, contra dilectionem Dei sunt contemptus Dei : atque peccata in Spiritum Sanctum grauissima sanè, atque solum de Sperantium in malis : iuxta illud Salomonis

Pro. 18. *Impius cum venerit in profundum malorum contemnit.*

*Vnde hæc peccata tam enormia nascuntur?*

Ex nimia assuetudine peccandi, ex qua fit homini connaturale peccare. Sunt verò hæc

Primum, cum quis peccat tantum vt faciat contra Dei præcepta : quoniam hoc illi solum est gratum, quia peccatum est. Amat enim

enim animus sic dispositus non subijci: iuxta illud Hieremix: *dixisti non seruiam.* Hier 2.

Deinde, cum aliquis animum in peccatis obfirmat: ea per quæ à peccatis retrahitur fugiens, quales sunt ij, de quibus loquitur Elaias: *Populus (inquiens) ad iracundiam provocans est, filij mendaces, filij nolentes audire legem: qui dicunt videntibus nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset sanctus Israël à facie nostra.* Hi videlicet sunt, qui nolunt ea per quæ à peccatis retrahuntur, audire vel cogitare: sed illis obstinata mente resistunt. *Esaiæ 30.*

Et denique cum animo proponit quis, se à peccato non recessurum: & cum veritatem agnitam impugnat, quippe suis affectibus contrariam: & cum gratiæ Dei invidet, doletque quod increfcat. Quæ omnia directè sunt contra charitatem Dei.

*Estne idololatria contra hoc præceptum?*

Maximè, quia per eam fides, spes charitas & honor soli Deo debitus, eo, quod Deus non est tribuitur; vt cum creatura aliqua in se, aut in imagine, aut quod stultissimum est, imago ipsa, tanquam diuinitatem habens, colitur, quod his verbis vetuit Deus. Non habebis deos alienos coram me.

I 3 vnde

vnde fit manifestum sanctorum imagines reliquias Catholicorum ritu colere ab idolatria esse alienissimum.

*Quibus modis idolacoluntur?*

Tribus: Primo manifestè, manifestis vocationibus, oblationibus & sacrificijs, & id genus alij.

Secundò, occulte seu arcano quodam foedere, vt fit cum quispiam futura quæ, præsertim quæ ex libero hominis arbitrio pendent per artem diuinariam, auguria, somnia, sortes vel alia huiusmodi cognoscere velit. Est enim in his omnibus occultæ uocatio dæmonis: atque quodammodo illi attribuitur diuinitas. Hoc enim est soli Deo proprium futura illa, & causam indefinitam habentia, cognoscere. Vnde ait Esaias: *Quæ uentura sunt, annunciate nobis, & dicemus, quod Deus estis.* Quare Dominus de hoc præceptum specialius: *Non inueniatur in uobis (inquies per Moysen) qui ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia, aut auguria: nec sit maleficus, aut incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos & querat à mortuis ueritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus: Et per Hieremiam à signis cæli (inquit) nolite timere, quæ timent gentes.* Et Apostolus Paulus seuerissimè admonet nos omnes, Galatas reprehendens, ne illis innitamus. Ait enim: *nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini ad hæc signa & imagines, quæ non sunt deus.*

*Esai. 41.*

*Deut. 18.*

*Hier. 10.*

*Gal. 4.*

uertimini ad egeña, & infirma elementa, quibus  
denuò seruire vultis: dies obseruatis, & menses, &  
tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa  
laborauerim in vobis.

Tertiò, per obseruationem vsuue ali-  
quorum signorum, siue aliarum rerum ad  
effectos aliquos: vt ad sanitatem, aut bo-  
num aliud consequendum: aut ad malum  
vitandum: ad quod non habent virtutem  
vel naturalem, vel à Deo supra naturam da-  
tam: veluti cum carmina dicuntur: aut bre-  
uia collo suspensa geruntur: aut obseruatio-  
nes aliæ vanæ fiunt ab ijs, qui aliquid inde  
expectant. Sunt enim hæc omnia vana, ha-  
bentque occultam quandam dæmonis in-  
uocationem: cum fidelis sola oratione atq;  
spe in Deum, naturalibusque rebus vti de-  
beat: iuxta illud Psalmi: *Beatus vir cuius est no-* Psal. 39.  
*men Domini spes eius, nec respexit in vanitates &  
insanias falsas.*

*Peccatis hisce quantum insit malitia,  
explica.*

Sunt hæc tria sæpius lethalia peccata, ali-  
quando tamen in hoc tertio peccato, & in  
secundo bona fides, aut ignorantia, aut ali-  
quid aliud excusat.

*Quid igitur ad morbos pellendos fugandosq; dama-  
nes, sanitatem & alia huiusmodi consequen-  
da rebus benedictis vtimur?*

L 3 In

In benedictione herbarū, salis, fructuum  
 terreorum, cinerum, &c. à Deo petitur, vt  
 nitas, liberatio ab infestatione dæmonum &  
 similia per ista præstentur; nihilque agit  
 istis Ecclesia, quam quod potestatem suam  
 sibi à Christo concessam, exercet. Dedit  
 quit Euangelista, illis potestatem Spirituum  
 mundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem  
 languorem & omnem infirmitatem. Sicut enim  
 Diabolus Christianos infestare non desinit  
 ita hæc potestas Ecclesiæ nunquam penitus  
 deficit: quam non solum verbis, sed & corpore  
 poralibus rebus, tanquam quibusdam visibilibus  
 verbis adhibet Ecclesia hominibus imitata  
 sponsum suum, qui cæcum à natiuitate luto & aqua  
 illuminauit: qui spiritu suo & immissione digitorum  
 in auriculam surdum & mutum curauit: imitata &  
 Moysen & Helisæum, quorum ille ligni immissione  
 in aquas, eis amaritudinem abstulit, hic sale  
 steriles aquas sanauit. Tobiam quoque qui  
 iecore piscis oculos patri liniens visum  
 ei reddidit.

Tob. 11.

*Potestne quispiam peccare verum Deum nimirum colendo?*

Potest, per superstitionem nimirum, quæ est veri cultus excessus, quod fit cum falsum aliquid in Dei cultu assumitur, vel contrarium Ecclesiæ definitioni & sensui: vt si quis miracula falsa, aut hæresin doceat, aut prædicet

vel sine vestibus aut vulgari sermone velit celebrare, aut aliquid aliud, de Dei cultu decretorum in Ecclesia transgredi: vel etiam inhonestas aut vanas cantilenas officio Dei adiungat.

Hæc quidem omnia ex se grauiâ sunt & lethalia: licet aliquando possit aliquid excusare.

Deinde quoque est in Dei cultu excessus: cum aliquid assumitur, vel ad Dei gloriam, aut ad mentis nostræ in Deum subleuationem, aut ad moderatam carnis macerationem non pertinens: vel præter communem consuetudinem Ecclesiæ. Ad quod pertinet cum festa non recepta celebrantur, aut nouæ Missæ siue cæremoniæ inducuntur. Quæ quamuis ex se nõ sint peccata lethalia, maxime tamen sunt vitanda: vt scilicet Deus iuxta antiquum Ecclesiæ ritum colatur. Itaque hæc sunt hæc species superstitionis.

*Peccata  
cõtra cha-  
ritatem ex  
praxi pete-  
num. 9.*

## SECUNDVM PRÆCEPTVM.

NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI tui in vanum. *Exod. 20.*

*Quid secundo Præcepto cauetur?*

Ne male iurando, vouendo aut blasphemando nomen diuinum incessamus, quin potius summa deuotione ac reuerentia præ-

L 4 dice-

dicemus, iuremus sanctè, & quæ aut iureiurando aut voto laudabiliter promissimus, fideliter præstemus.

*Quid verò est iurare?*

Est veritatis dictorum testem Deum invocare, siue expressè eius diuinam maiestatem pronuncians; siue creaturam quampiam, quatenus diuinitatis splendor in ea elucescit.

*Licetné iurare?*

2. Cor. 1.  
Phil. 1.  
Apo. 10.  
Hebr. 6.  
Gen. 12.  
Psal. 109.

Quid nî liceret, quando non ipsi Apostoli tantum, sed & Angeli, imò & Deus iurauisse, in scripturis leguntur: Nec illius obscura est ratio, si iuramenti ortum finemque intueamur. Etenim iusiurandum à fide originem ducit, qua homines credunt, totius veritatis esse Deum autorem, qui nec decipi vnquam possit, nec alios decipere, cuius oculis nuda sunt omnia & aperta, qui denique vniuersa admirabili prouidentia moderatur. Hac igitur fide imbuti homines Deum testem adhibent, cui fidem non habere impium & nefarium fuerit. Quod verò ad finem attinet eo tendit iusiurandum, vt hominis iustitiam & innocentiam probet, finemque litibus & controuersijs imponat.

*Hinc quantum insit mali periurio collige.*

*Qui falsum iurat, Deo quantum in se est fidem*



fidem derogat, & orbem vniuersum litibus nonquam finiendis confundit.

*Quid ergo? vt hanc in Deum fidem nostram exerceamus, nec controuersie vlli amplius sit locus crebro iurabimus?*

Nequaquam, Sapiens enim dicit: *Iurationi Eccl. 23. non assuescat os tuum, multi enim casus in illa: Et iterum, Vir multum iurans replebitur iniquitate nec recedet de domo eius plaga.* Iureiurando enim nobis tanquam medicina vtendum, quam nemo sanæ mentis, nisi necesse sit adhibet, nemo frequentat, nisi sibi perniciem inducere velit.

*Quando licitè iuramus?*

Prudens homo medicamentum adhibiturus, primò id curat vt probatum sit ac salutare quod sumit, non autem pestilens aut perniciosum. Deinde verò non per vim alteri extorquet, aut iniuria aliena sibi comparat, neque cum Dei offensione.

*Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte. ca. 30. & ca. 15 de mendac.*

Postremò verò, hac est animi prudentia, vt si aliter possit sanitatem consequi à medicamentis abstineat. Sic qui hanc animæ medicinam velit vsurpare, nouerit, quod asserit, verum esse, & neque in Dei neq; in proximi iniuriam cedere, & tale vt iurare sit necesse, quia videlicet alias non creditur, & permagni interest vt credatur. Adit igitur oportet iuranti veritas certa & explorata, iustitia & iudicium.

L 5 *Quan-*

*Quando hæc ipsa defunt?*

Primum quidem deest veritas, cum iuratur scienter falsum: vel quod falsum esse à iurante putatur; aut non cognoscitur certo verum esse. Periurat etiam qui aut iurat, aut vouet non intendens se obligare, aut quod promittit non seruare, aut suo tempore cum debet promissionem iuratam aut votum, non implet.

*Quando deest Iustitia?*

Quando id quod dicimus cum Dei honore aut proximi vtilitate pugnat, vt fit in detractione, proditione Secreti, occultorum peccatorum reuelatione atque iniquis comminationibus & huiusmodi alijs, in quibus iurare omnino non licet: Sicuti enim falsitatis, ita & iniquitatis Deum testem facere nefarium est. Cæterum si quid mali promiseris, memineris Regulæ Isidori: *In male promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.*

*Quando desideratur iudicium?*

Cum in re leui iuramus; aut graui quidem, sed absque necessitate, quia videlicet etiam non iurantibus fides datur, & cum iurantes, Deo, quem testamur re ipsa ac præsentis animo debitam reuerentiam, ad minimum interiorem non exhibemus, Quanta hæc sint peccata & nonnulla alia, vide in praxi.

NHH-

*Nunquid iurandi consuetudo excusat?*

Minime verò: Sicut enim consuetudo nocendi proximo, non attenuat, sed potius aggrauat iniquitatem: ita etiam hæc consuetudo irreuerentiam in diuinam maiestatem. Memorabilis est illa D. Hieronymi & qui-

*Vide Praxin de magnitudine huius peccati & intelligentiã locutionũ quarundã vulgariũ. Num. 10. & 11. Vide plura in Praxi Num. 11. Praxi. Numer. 38.*

*Quid blasphemia?*

Maximum peccatum ac damnatorũ proprium: cum aut verba de Deo, Sanctisue effertur impio affectu, & quasi detestatione quadam: aut cum operibus ipsis, Deo Sanctisue honorem detrahimus: vt in conculcatione imaginis & similibus.

Quæ in praxi de eliminanda iurandi, maledicendi, & blasphemandi impia consuetudine proposita sunt, tum sæpè aliàs, tum hoc præsertim loco, magna animi contentione Catechista explicabit.

*Suntne & alia in Deum irreuerentia peccata quæ huc referuntur?*

Sunt equidem. Et horum primum est Deitentatio: cum aliquis à Deo miracula petit, & præter communem viam aliquid habere vult sine vlla necessitate, & Dei in-

mor-

mortis, vel vitæ tempus, &c. Estque de hoc præceptum legis à Christo Domino in Evangelio adductum. Scribitur enim in lege:

*Matth. 4.* Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tenta-  
*Luce. 4.* sti in loco tentationis. Petierant namq; carnes,  
*Deut. 6.* cum à Deo alerentur manna. Est autem hæc  
*Num. 11.* DEI magna irreuerentia, ex se quidem gra-  
 uis, exculat tamen eã aliquando ignorantia.

*Quodnam secundum?*

Superbia. Vitium nimirum propriè, quo contra DEVM extollitur homo: cum vel à se, aut suis meritis gloriatur aliquid se habere, illoque vt proprio inflatur: vel cum super ea quæ habet, extollitur: vel ca teros despicit.

*Jac. 4.* Hæc enim omnia præ se ferūt magnam DEI  
*1. Pet. 5.* irreuerentiam. Vnde scriptum est: DEVS su-  
*Psal. 118.* perbis resistit. & in Psal. *Superbi iniquè agebant*  
*vsquequaq;* id est, valdè, admodum.

Quidam etiam huc sacrilegium referunt, de quo nos in præcepto tertio.

---

TERTIVM PRAECEPTVM.  
 MEMENTO VT DIEM SAB-  
 bati sanctifices.

*Quid tertio mandato præcipitur?*

VT tempus ad colendum atque hono-  
 randum DEVM, debitamque ei religio-  
 nem exhibendam designatum, piè ac reli-  
 giosè impendamus.

Qua

*Qua ratione id præstabimus?*

Si abstinuerimus ab ijs, quæ festo die per agere non licet, & religionis ac misericordiæ exercitio dediti si dulò ac impensè DEO placere studuerimus.

*Quæ sunt festo prohibita opera?*

Non seruilia tantum, sed & alia quædam hominem à Dei cultu abstrahentia: vt mercatus, placitum: siue ad aliquid decernendū congregatio concilij, iudicare aliquem ad pœnam vel mortem, præstare iuramentum, nisi fiat pro pace vel alia necessitate. Itē strepitus iudiciarius, nisi forte necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.

*Actus Religionis, quibus nos in festis præcipue operam dare conuenit, recense.*

Primus horum deuotio atque promptitudo ad se Deo exhibendum ad omnia paratissimum: quæ meditatione beneficiorum Dei, atque bonitatis ipsius, & cogitatione priorum peccatorum excitatur. Quod significatur illo Psalmo: *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in letitia.* Et idem etiam sonat totus ille Psalmus. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.* Psal. 99. Psal. 94.

Secundus est oratio: quam CHRISTVS præcipit: *Oportet (inquiens) semper orare & non deficere.* De qua & Paulus: *Volo (ait) viros orare* Luc. 18. 1. Thes. 2.

*orare*

orare in omni loco, leuantes puras manus. Per quos duos actus, cordis obsequia & cultus Deo offerimus. Tenemurq; prestare illos propter necessitatem consequendæ salutis: quæ maximè est promissa orationi. Nam *quæcumque* (ait Dominus) *orantes, petitis, credite quia accipietis & euenient vobis.*

Ad hanc verò orationem requiritur deuotio iuxta illud Psal. *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.* Atqui hi quidem sunt actus religionis interiores.

*Actus autem religionis exteriores quod sunt?*

Etiam duo: quorum prior est adoratio, corporalis in Dei reuerentiam inclinatio. De qua sæpè legitur in sacra scriptura: vt in illo Euangelij: *Procidentes adorauerunt*

*Math. 2.* Magi Christum. Et in Psal. *Venite adoremus*  
*Psal. 94.* *& procidamus ante Deum.*

Posterior est sacrificij, alicuiusue rei exterioris oblatio, facta Deo in protestationem illius excellentiæ aut beneficiorum, &c. De quo Psaltes: *Afferte* (ait) *Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Quæ quidem nunc in sacrificio altaris maximè fiunt.

Est præterea votum oblatio quædam rei promissæ, simpliciterque actus religionis, vt & eius adimpletio, quemadmodum iuramentum est Dei ineffabilis veritatis confessio. Item vocalis laus & cantica, oblatio quædam

dam sunt; De qua David: *Pfallite*, (inquit) *Pfal. 47.*  
*Deo nostro pfallite.* Et rursus: *Vouete & red-* *Pfal. 76.*  
*dite Domino Deo vestro omnes; qui in circuitu eius*  
*affertis munera.* Huc etiam pertinet oblatio  
 primitiarum & aliorum quæ ad sustentatio-  
 nem ministrorum dantur: vt sunt decimæ,  
 quas præstare tenetur quis, vel propter ne-  
 cessitatem ministrorum, vel propter Eccle-  
 siæ statutum, vel propter consuetudinem.  
 Est autem in omissione horum aliquando  
 graue peccatum.

Deinde quoque ex Ecclesiæ statuto, &  
 consuetudine, tenemur iuxta hoc præcep-  
 tum. Deum Sanctosque reuereri actibus il-  
 lis, temporibus atque modis, quibus Eccle-  
 sia instituit. Contra quod peccatur: cum  
 diebus festis ea quæ præcepta sunt omittun-  
 tur: vt auditio Missæ, aut cum ieiunia vigi-  
 lijs festorum, atq; aliâs indicta, aut ciborum  
 delectus, quem Ecclesia ex Apostolorum  
 Christiq; traditione sanctissimè constituit,  
 aut confessio peccatorum, aut communio in  
 Paschate, aut satisfactio à iudice spiritali in  
 confessione imposita, aut alia id genus neg-  
 liguntur. In quibus omnibus sunt graues  
 omissiones.

Denique circa ipsa etiam diuina officia,  
 quæ ex præcepto vel audire, vel dici debent,  
 ob mentis diuagationem separatioremque  
 à debita attentione, peccatur tantò magis,  
 quan-

quantò illa fuerit maior, aut magis voluntaria.

*Tantumné temporis sacri prophanatio hic prohibetur?*

Nonnulli omnia omnino sacrilegia, quibus res quæcunque sacræ Deoque dicata violantur, hic prohibita esse intelligunt. Et si verò horum quædam in alia præcepta relata sint, hic tamen ea doctrinæ gratia simul explicari non erit alienum.

*Quid est Sacrilegium?*

Irreuerentia illata rebus sacris diuinoque cultui deputatis.

*Quæ sunt Sacrilegij species?*

Multæ illæ sunt, quarum prima est cum personæ Deo sacratæ contemnuntur, aut iridentur, aut percutiuntur.

Secunda, cum in Ecclesijs ipsis, locisque sacris, indigna tractantur; aut fiunt prohibita in eis: vt si quis negotiationes exerceat, immunitatem violet, inhonesta faciat aut loquatur.

Tertia, cum Sacramenta indignè tractantur, aut sumuntur, aut cum ad illicita eis quis vitur, vt si quis non integrè confiteretur, aut contaminatus peccato reciperet corpus Domini.

Quarta, cum ipsa verba DEI, aut sacra scrip-



Scriptura peruertuntur aut corrumpuntur, aut trahuntur ad inhonesta, vel vana.

Quinta, cum irreuerenter tractantur res aliæ sacræ, vt vestes Ecclesiæ, vasa, aut alia ornamenta, sal, aqua, cæreus paschalis, benedicta, &c.

Sexta ponitur etiam inter has species sacrilegij, fractio voti vsusue hominis DEO dicati ad contraria illis, quæ Deo offerens promittit, qualis est inhonestas profitentis cœlibatum, rei alicuius tanquam propriæ vsurpatio religionem professi.

Septima species sacrilegij est, Simonia: cum spiritalia aut eis annexa dantur nō gratis, vt à Christo Domino præceptum est.

Octaua denique est Ecclesiasticæ potestatis vel pœnæ contemptus, aut transgressio præcepti vel excommunicationis. Quod sanè graue sacrilegium est. Verum in his omnibus multa sunt grauia lethaliaque ex se alia verò non adeo, quæ sic percurrisse satis est.

*Cur inter omnia præcepta, tertium hoc in Decalogo & exactissimè traditum & in lege ac Prophetis persapè repetitum?*

Quia nimirum fidelium plurimum refert, vt colantur dies festi. In hisce enim ad verbum Dei audiendum conueniunt, quo intelligant quæ sit Dei voluntas, vt ad cor-

M dis

dis compunctionem, & peccatorum poenitentiam, incitetur, utque offenso Deo concilientur: Sacrosanctæ hostiæ offerendæ assistant, eamque; aut Sacramento ipso, aut Spiritu, participant, unde vires efficaciamque hauriunt, & ad benè operandum, & ad spirituales nequitias, atrocissimosque; salutis hostes repellendos, atque devincendos.

Deinde quis nesciat homini longè utilissimum esse, fidem, spem & charitatem, quæ inter virtutes ac Spiritus Sancti charismas primas obtinent, exercere? Porrò qui festum colit religiosè, mysteria fidei meditatur, spem suam in Deo eiusque larga benedictione ponit, non in opere manuum suarum. Ne fieri potest, quin pietatis exercitio, ac diuinarum rerum meditatione incalescat, atque ad ardentem Dei amorem prouehatur.

Denique festi sanctificatio signum est, idque admodum augustum, quod temerariæ extremæ impietatis fuerit argumentum.

*Cuius quæso signum?*

Indicat homines se dedicare oportere Deo, Sanctosque eidem præbere, cum dies etiam propterea ei dicatum videant, (*Videat* ait Dominus DEVS, ) *ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, & sanctifico vos.*

Deinde signum est, & quasi monumentum

*Exod. 31.*

*Ezec. 20.*

tum conditæ huius admirandæ vniuersitatis, quod beneficium, vt primum est ordine, ita perpetua animi gratitudine prosequendum. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo.* At postquam venit temporis plenitudo, contulit Deus hominibus beneficium aliud creatione longè præstantius, reparationis videlicet ac redemptionis. Quid enim prodesset, Deum nos creasse, si infectam, & quodammodo deletam imaginem suam, nimæ nostræ impressam, ipse non reformasset, & suo sacratissimo sanguine non illustrasset. Ideo cum Christus Redemptor noster, die Dominico à mortuis resurrexerit, Sabbathum, quod olim propter creationis beneficium, vt festiuum celebrabatur, propter beneficium redemptionis, in Dominicam translatum est.

Signum præterea fuit sabbathum Israelitarum memoriæ traditum, quo admonebantur, se Dei auxilio à durissimo Ægyptiacæ seruitutis iugo solutos, ac liberatos esse. In nobis verò impleri debuit, quod apud Ieremiam Dominus locutus est: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed viuit Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israël, de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eieceram eos.*

M 2 Est

Est signum item tum spiritualis tum celestis sabbathi.

*Spiritale sabbatum in quo consistit?*

In sancta quadam & mystica quiete, mirum cum vetus homo, Christo consepultus ad vitam renouatur, atque ijs actionibus, quæ Christianæ pietati conueniunt, studiosè se exercet, vt qui aliquando tenebrarant, nunc sint lux in Domino, ambulentq; vt filii lucis in omni bonitate, iustitia & veritate, nequam communicet operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguant.

*Ephes. 5.*

*Cœleste sabbatum quid sit scire velim.*

Beatissima illa vita, in qua Deus abstergit omnem lachrymam ab oculis suorum Sanctorum, in qua nec luctus, nec dolor, sed cum Christo pace fœlicitateque æterna fruemur. Festinemus (ait Apostolus,) in hanc requiem ingredi, omnia enim bona in visione Dei mens nostra adipiscetur.

*Heb. 4.*

*Quid hinc colligendum?*

Eos qui dies festos facilè, & quasi contemptim violant, quia liberos suos, familiam, aliosuè quo minus & ipsi religiosè obseruent, impediunt, cum valdè esse impios, tum Reip. Christianæ imprimis perniciosos, quod ipsi, si qui alij ad Christi in terris regnum labefactandum; Satanæ verò introducen-

ducendum amplificandumque strenuè laborent, vt videri possint in eâ rem, tanquam operæ conductæ esse.

*Hoc manifestè ostende. Est enim dignum admiratione.*

Id minimè operosum fuerit: Etenim sacri temporis profanatores re ipsa omnibus testatum faciunt, aut se à DEO sanctificari minimè credere: aut vt sanctitate ab eodem ornentur, sibi haud magnopere curæ esse, Conditionis, Redemptionis, Spiritualis ac Cœlestis quietis, beneficia videlicet Dei lōgè maxima, hoc est regnum cœlorum & merita eiusdem pro nihilo ducere: temporalia hæc quæ etiam non Dei dona, sed suo labore parta arbitrantur, esse suam portionem. Quibus ad summam impietatem, quid addi possit non video.

*Quomodo ijdem regnum Christi euertunt?*

Facilè hoc est aduertere. Externus enim cultus interioris, qui in duobus primis ac præcipuis mandatis iubetur, est veluti fructus quidam, & nisi feriæ piè celebrentur, religio ne quidem stare potest, quando quidem populus aliâs suum officium vix edoceri potest.

*An in scripturis vsquam hoc disertè traditur?*

Id sane. Sic enim Dauid: *Quanta maligna-* psal. 73.

M 3 tus

*tus est inimicus in sancto? Et gloriati sunt qui odierunt te: in medio solemnitatis tuæ. Et Paulò polluciderunt igni sanctuarium tuum in terra: polluciderunt tabernaculum nominis tui: hoc est Ecclesiam sanctam Dei. Vide autem qua ratione extremam vastitatem se adducere possent.*

*Psal. 73.*

*Dixerunt in corde suo: QUIESCERE FACIAMVS OMNES DIES FESTOS DEI IN TERRA. Hi sunt qui contra Deum loquuntur, dicunt: Vanus est qui seruit Deo. Nec prius*

*Mal. 3.*

*I. Mac. 1.*

*Antiochus se Iudæos à cultu veri Dei abducere posse putauit, quam sabbathi ac solemnitatum religiosam celebrationem interdiceret.*

*Quare in tertio solum precepto vox illa (memento) prefigitur?*

Primò, quia nunquam defutura erant occasiones, quamobrem nos huius precepti capiat obliuio, vel aliorum qui illud negligant exemplo adductos, vel avaritia, spectaculorum ludorumque studio, quibus plerumque ab huius diei sancto religiosorumque cultu abducimur.

Secundò, ut modum rationemque colligamus, qua in tota hebdomada opus nostrum facere conueniat, ita scilicet, ut dies festum semper spectemus, quo die cum actuum & operum nostrorum, Deo quasi reddenda ratio sit, eiusmodi opera efficiamus quæ neque Dei iudicio repudientur, neque

nobis sint in singulum & in scrupulum cordis.

Tertiò, festum meminisse & præuidisse oportet, ne aliquid eorum, quæ alijs hebdomadæ diebus fieri agiue conuenit, in festum reijciamus, atque ita animus à rerum diuinarum cura studioque auocetur.

Quæ in praxi de modo utiliter audiendi verbum Dei, & missa, deque religiosè celebrandis festis, habentur hoc in loco commodè explicabuntur.

*Peccata contra hoc præceptum in eadem praxi* Num. 126  
*require.* 13.

## DE PRÆCEPTIS SECUNDÆ TABULÆ.

*Quid sequentia præcepta exigunt?*

Vt quam debemus proximo dilectionem, iustitiamque exhibeamus.

*Quæ peccata proximum nostrum impetunt?*

Doctiores vix intelligunt quæ sint specialia peccata contra præceptum dilectionis proximi, nisi quantenus contra præcepta secundæ tabulæ fiunt. Ne itaque confundantur Catechistæ & auditores, omittenda hæc omnia vsque ad **QUARTVM PRÆCEPTVM** præsertim, quæ specialia quæ hic ponuntur in ipsis præceptis, quantum instituto satis, declarantur.

M 4 Mul-

Multa peccata sunt in vniuersum contra proximi dilectionem : qualia sunt quæ contra præcepta erga proximum fiunt, vt occidere, detrahere, &c. Specialia verò contra hoc præceptum sunt : Primum quidem scisma, cum quis se ab vnitæ Ecclesiæ separat, aut nolens se tanquam membrum veræ Ecclesiæ & vicario Christi subdi: aut illam volens destruere. Hoc peccatum planè est contra charitatem, qua Ecclesiam Christi tenemur prosequi, maiori certè, quam singularem aliquem Christianum. Possunt etiam in religionibus esse scismata.

Secundò, peccatur contra proximi dilectionem per odium proximi.

Tertiò, etiam per inuidiam. Quorum vtrumque lethale peccatum est, cum pleno consensu rationis committitur : vt cum malum proximo volumus, quia malum est illi, vel de eius bono quia illi est bonum, vel quia nobis efficitur superior, dolemus.

Quartò, quoque peccatur contra præceptum de dilectione proximi, per omissionem subventionis, atque operum misericordiæ & corporalium & spiritalium, quæ proximis tenemur in articulo necessitatis impendere. Maximè verò tenemur ad præstanda spiritalia contra peccata ipsa quæ maxima certè mala sunt, quæque ad vltimas hominem miseras, perducunt.

*Vide Prax.  
Num. 15.*

Horum



Horum primum est, peccatorem corrigere, & quantum in nobis est à peccato abstrahere, iuxta id Euangelij: *Si peccauerit in te frater tuus corripe eum.*

Secundum, ignoscere cum in nos peccat.

Tertium, sustinere cum est grauis.

Quartum, orare etiam pro eo, iuxta id Euangelij: *Benefacite ijs, qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

Præterea tenemur quoque contra mala alia animæ, prout possumus & necesse esse videbimus afferre remedia: vt consolari tristem, instruere & docere ignorantem, dubio hærentique consilio assistere. Quæ in septem opera spiritualia misericordiæ, nobis distinxerunt patres.

Deinde verò obligamur ad corporeas etiam necessitates proximorum pellendas quantum est in nobis: de quibus & Christus Dominus in die iudicij singularem se rationem exacturum dicit: quas & sancti ad septem misericordiæ opera reduxerunt, colligentes ex illo Euangelij: *Esuriui & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis bibere; Hospes eram & collegistis me: Nudus & cooperuistis me, infirmus & in carcere & venistis ad me.* Vbi duo connumerarunt sancti patres, captiuorum redemptionem & infirmorum visitationem: quibus & addiderunt mortuorum sepulturam: qua Tobiam Deo placuisse constat. De *Tob. 12.*

his ergo curam singularem habere tenemur. Estque eorum omissio peccatum, idque graue cum magna est ipsa omissio, & quidem lethiferū cum necessitati proximi defumus.

Postremò, contra dilectionem proximi peccatur per scandalum cum quis proximū ad peccatum trahere ex intentione & proposito vult: vel cum aliquid sic facit, vt inde sequatur proximis peccandi occasio aut peccandi exemplum, atque nihil id curat. Hoc enim est scandalizare fratrem. Ad quod reducitur, cum à bonis operibus quis malitiōsè retrahit proximum.

---

QVATVM PRAECEPTVM.

HONORA PATREM TVVM

& matrem tuā, vt sis longæuus super terram, quam Dominus DEVS tuus dabit tibi.

*Cur reliqua omnia, præceptum de honorandis parentibus antecedit?*

*Prima natura lex diligere parentes. Val Max. Mb. 5. c. 4.*

Quia illis præ cæteris proximis plurimum debemus, vtpotè qui secundum Deum nostri sunt principium, & alijs multis nominibus.

*Quidnam debemus parentibus?*

Honorem, seu vt Philosophi dixerunt, Pietatem.

Pietatem, quæ virtus in parentibus patriaq;  
colenda versatur.

*Quasnam partes honor seu pietas  
complectitur?*

Reuerentiam, obedientiam, & subuentio-  
nem. Reuerentiam quidem, parentes aman-  
do, eis bona præstando, pro eis orando, & se-  
dulo cauendo, ne dicto aut facto eos offen-  
damus, eis affurgendo, & honorem exhibē-  
do, primas illis per omnia tribuendo, in  
colloquijs, in conuiuijs, in confessibus, in  
humanitatis studio, in disponendo de rebus  
domesticis, in consultando, ac alijs. Obedi-  
entiam autem eis morem gerendo in omni-  
bus, quæ ad bonos mores pertinent, & ad  
utilitatem rei familiaris: exemplo Domini  
nostri IESU CHRISTI, totius virtutis exem-  
plaris, qui MARIÆ matri, & Ioseph propter  
MARIAM se semper morigerum præstitit.  
Ad huius imitationem *quicumque timet Domi- Eccles. 3.*  
*num, honorat parentes, & quasi Dominis seruiet*  
*his qui se genuerunt.*

Enimuerò honos magnus est parentum  
habere filios dicto obedientes: Sicut confu- *Eccle. 22.*  
sio est patris Filius indisciplinatus.

Subuentionem, eos consolando, & neces-  
saria eis ministrando. Hinc Dominus re-  
darguens quosdam dicebat: *Quare vos trans-* *Matth. 15.*  
*gredimini mandatum Dei propter traditionem ve-*  
*stram?*

*stram?* Nam dixit Deus *honora patrem & matrem*. Et, *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur*. Vos autem dicitis: *Quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum & matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Et recte, si quidem ut magna est afflictio parentum, ita certe non modica videtur confusio, derelinqui in egestate & angustijs, etiam ab ijs, qui quod sunt, non nisi de ipsorum visceribus sunt. Parentum ratione consanguineis & affinibus, qui sunt illorum quasi viscera, honorem ac pietatem exhibere tenemur.

*Quam habet hoc præceptum re-  
missionem?*

Præmium promittitur nobis, longitudo vitæ naturalis, si nobis prodest ad salutem, & ad commodum maius. Quia diu benè beate-que vivere, Dei est magnum beneficium: sicut è contrario, diu in peccatis viuentes, peius damnantur.

Promittitur & longitudo vitæ gratiæ in præsentī vita, quæ naturali vita maior est; & longitudo vitæ gloriæ in futuro seculo, quæ est maxima.

*Quid filijs parentes debeant enarra.*

*Vt à filijs honor debetur parentibus: ita  
paren-*

parentes filijs præstare debent, vnde coram Deo hunc honorem & mereantur & tueantur. Vnde cum dixisset Apostolus, *honoratrem tuum & matrem tuam* (quod est mandatum primum in promissione. ) Subiecit, *Et vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.*

*Hess. in 4.º  
præcept.  
c. 25.  
Ephes. 6.º*

Primò itaque debent prolibus parentes amorē, ex quo diligenter eos educunt: vt videlicet iam inde ab initio conceptionis accuratè foueantur, & custodiantur, vsque ad robustam ætatem.

Secundò, debetur liberis secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ prouidentia, siue prouentus. *Debent enim parentes thesaurizare filijs, siue agros aut redditus comparando, siue curando vt opificium addiscant, quo illi vitam honestè transigant.*

Tertiò disciplinam, vt eos erudiant in recta fide & Christianis moribus. *Qui docet filium laudabitur in illo, &c.* At quia plerumque parentes, aut non norunt, aut impediti alijs, non valent filios suos instruere: tales magistros debent procurare filijs, qui Christianam fidem & vitam eos optimè doceant, efficiantque vt lectionem Catechisticam sibi habeatur, sedulò frequentent.

*Syn. Mo-  
gunt. cant.  
45.  
Eccle. 30.  
Deut. 11.º*

*In disciplina & regimine filiorum qua prudentia opus est?*

Pri-

Primò, fugienda est modis omnibus præpostera cura & admiranda cæcitas, quæ multorum parentum corda occupauit, qui quidem magnos thesauros filijs relinquere, illosque docere, qua ratione diuites & magni in hoc sæculo euadant, admodum sunt solliciti: fidem verò ac religionem, quibus possent in æternum viuere, cistradere negligunt.

*Ephes. 6.  
Colof. 3.*

Secundò, vt in disciplina parens modum teneat, nec æquo sit austerior. Austeritate enim imperij fit, vt pueri disciplinam odisse & fugere incipiant, priusquam eius gustauerint utilitatem. Hinc pusillanimes & desperati redduntur. Vnde mandat Apostolus: *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Si quando delinquunt filij vestri, ô parentes, sic obiurgandi, aut si oportet castigandi sunt, vt correctos malitis, quàm punitos, & magis à futuris peccatis eos abducatis, quam pro præteritis puniatis. Pessimè enim agunt parentes illi, qui magis ira, quam ratione in filios sæuiunt, & etiam correctis implacabiles sunt, item qui filijs suis maledicunt. Metuendum est, ne sæpè eorum maledictiones exaudiantur à Domino, in magnam eorum & filiorum perniciem.

Tertiò, quia nimia indulgentia planè corruptos reddit, parenti omnino deuitanda est.

est. Qui enim à puero disciplinæ non fuerunt subiugati, grandiores facti non sustinent eam, siquidem *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Hinc Sapiens: *Qui parcat virgæ, odit filium suum, qui autem diligit instanter erudit.* Et idem alio in loco: *Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percutes eum, & animam eius de inferno liberabis.*

*Prove. 21.*

*Pro. 13.*

*Pro. 23.*

*Vide Eccl. 30.*

*Episcopis, Pastoribus, Sacerdotibus, Doctoribus, Prædicatoribus verbi, Principibus, Rectoribus Reipub. tutoribus, & matris nostræ Ecclesiæ Christi quid debemus?*

Sunt & illi quodammodo parentes nostri, ideoque tria illa, quæ sub nomine honoris comprehenduntur, eis exhibenda sunt scilicet reuerentiam vnicuiq; in gradu suo, & secundum meritum ministerij quod impendit. Secundo obedientiam, tertio subventionem in temporalibus. Quod ad obedientiam attinet sic ait Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subiaccite eis: ipsi enim peruegilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes.* De reuerentia & rerum temporalium subministratione. Idem ad Timotheum: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Dicit enim

*Heb. 13.*

*1. Tim. 5.*

*enim*

*enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti.*  
 1. Cor. 9. Et, *Dignus est mercenarius mercede sua.* Quod  
 insigniter alibi demonstrat, tam ex legena-  
 turæ, quam Mosaica, & Christi ordinatione  
 fieri oportere. De Principibus, hoc est, patrie  
 patribus. Similia inuenies 1. Pet. 2. & Rom. 13.  
 & passim in scripturis.

*Quid si parens, aut alius quispiam quem parentis  
 loco habere debeo, præcipiat quod cum virtute  
 ac honestate pugnet, aut à perfectio-  
 nis studio auocet?*

Hic certe oportet promptum habere in  
 corde & in ore illud Apostolorum: *Obedire  
 oportet Deo magis quam hominibus.* Vnde si ad  
 religionis ingressum vocari te sentis, licet in  
 limine pater iaceat, per calcatum perge pa-  
 trem (ait D. Hieronymus) ficcis oculis ad  
 Christi vexillum euola: solum pietatis genus  
 est, in hac re esse crudelem. Nam & Domi-  
 nus sic ait: *Si quis venit ad me, & non odit pa-  
 trem suum & matrem suam, &c. non potest meus  
 esse discipulus.*

*Quæ sunt pietati virtutes affines?*

Primum obseruantia qua ijs qui in digni-  
 tate sunt, cultum honoremque tribuimus.  
 De qua re Apostolus: *Reddite omnibus de-  
 bita: cui timorem, timorem: cui honorem,  
 honorem.*

Secundò gratitudo, qua beneficis tene-  
 mur



mur nos gratos exhibere, affectu, verbo, atque opere, cum opus fuerit. Atque hæ virtutes hoc præcepto incluse intelliguntur. Peccant etiam, & quidem grauissimè Matri Ecclesiæ honorem debitum negantes Schismatici, qui nimirum se ab vnitæ Ecclesiæ separant, nec volunt se tanquam membrum veræ Ecclesiæ & vicario Christi subijci. Hoc peccatum absque hæresi diu durare non potest, vt videmus in Græcis, Rutenis, & Bohemis. Religiosi item qui in peculiari suo ordine, siue Religione ad quam vocati sunt, quemque magis honorare quam peculiare, quemcunque parem tenentur, schismata excitant, aut fouent ac sectantur.

*Peccata  
habes in  
Praxi N.º  
14.*

QVINTVM PRÆCEPTVM.  
NON OCCIDES.

*Exod. 20.*

*In reliquis præceptis quid agitur?*

Prohibentur optimo ordine proximorum læsiones damnaque, opere & verbo, imo & arcano mentis desiderio illata: idque secundum ordinem grauitatis ipsorum. Tanti enim te facit, ô homo, qui & creauit te Deus, vt nec mortalium vlli, nec mundo vniuerso concefferit, vt te, non dicam re aut verbo, sed nec signo aut nutu, nec denique desiderio aut animi cogitatione in minimo lædere contristare uel liceat.

N *Quid*

*Quid prohibet quintum praeceptum?*

Homicidium nominatim vetatur : implicite autem omne nocumentum, quo animæ aut corpori proximi nocere possumus, ut sunt omnis iniusta percussio, etiam citra mortem & sanguinis effusionem, malevolentia, odium, ira, abortus & sterilitatis medicamenta & similia. Odium & invidia utrumque letale peccatum est, cum pleno consensu rationis committitur: ut cum malum proximo volumus, quia malum est illi, vel de eius bono quia illi est bonum, vel quia nobis efficitur superior, dolemus.

*Licet né aliquando irasci & vindictam exposcere?*

Absque causa irasci, aut iniustam vindictam exigere nunquam licet; sed nec iustam quidem iniuste, hoc est pravo animo, ut videlicet malum illi sit, cui sumus offensus, sed zelo iustitiæ in animæ offendentis utilitatem, aut saltem bonum nostrum. Sed nec signa inimicitiae ostendere, nec amicitiae denegare licet, iuxta illud : *Diligite inimicos vestros: benefacite ijs, qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Sunt in hoc genere peccati gradus quidam, quos Dominus ipse apud Euangelistam Matthæum exponit.

*Matth. 5.**Licet-*

*Licetné Magistratui fontes plectere?*

Vtique, hoc enim præcepto non omnis occisio vetatur: sed tantum iniusta hominũ occisio, iniustumque hominum nocumentum. Potest itaque Respublica, siue iudex Reipub. vicarius, in fontes animaduertere, & vita aut membro viuo priuare. Pater etiam in liberos: & præceptor in discipulos potestatem quidem habet, sed eam imperfectam: nempe duntaxat infligendi leuiiores pœnas, & quæ non inferunt irrecuperabile nocumentum.

*Quot modis animaduertendo in alium peccare contingit?*

Tribus. Primò, Si in hominem, fontem quidem & supplicio dignum animaduertatur, sed grauius quàm pro delicto: aut minus quam decet: ita vt nocens nõ pertimescat recidere in idem peccatum.

Secundò, Si in hominem fontem quidem iusto supplicio, & seruato iuris ordine animaduertatur: sed non animo iusto & beneuolo, imò appetitu vindictæ, & alieni mali. Vetita est enim omnis passio iræ, maximè in animaduertendo in alterum. Debent enim dolere vicẽ & peccatum eius, in quem animaduertunt: quod in ira fieri non potest: sed ea voluntate alterum corripere debent, qua pater filium paruulum, quem odisse non potest.

N a Ter

Tertiò, Si in hominem fontem quidem & iusto animaduertunt supplicio, non tamen seruato iuris ordine: vt si puniendi legitimum non habeant potestatem: aut si in diuersa causa, aut tempore, loco, modo, non debitis puniant.

*Quorum est in alios animaduertere?*

Castigatio ad solum Prælatum, & potestate præditum pertinet: admonitio verò ad omnes, quãdo scilicet aliquis mortali peccato detentus, probabiliter creditur admonitione & correctione liberandus. Quia si peccato alioquin resurrecturus creditur, si homo sit conscientia suæ scrutator: aut per admonitionem deterior euasurus putatur, ad correctionem fraternam non tentemur.

*Quales existimandi, qui bonæ indolis iuuenes ad malum incitant, eorumq; bonos mores corrumpunt?*

Dæmonibus verissimè assimilantur, Animarum enim damnationem insidijs suis procurant, pro quarum salute Christus sanguinem suum fudit: & membra Christi, membra nituntur efficere diaboli. Bern. Si Christus proprium sanguinem suum dedit in precium redemptionis animarum, non tibi datur grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionem malignam, exemplo pernitio

DECEM PRÆCEPTORVM. 197

nitioso, scandali occasione, auertit ab eo animas quas redemit, quam à Iudæo, qui sanguinem illum fudit?

Vicissim maximum sacrificium Deo est zelus animarū: Maius enim (inquit B. Gregor.) est miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem conuertere, quam mortuum suscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura: in illo verò anima in æternum victura. De qua re plura supra de præcepto quarto circa finem.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

NON MOECHABERIS. *Exod. 20.*

*Quid habet sextum præceptum?*

**N**ominatim vetatur adulterium. Implicitè etiam omnis illicitus concubitus extra matrimonium: & omnis illicitus & inordinatus, siue etiam innaturalis vsus, vel contactus membrorum, qui fit ad procurationem illicitæ voluptatis, & causa experiendæ venereæ delectationis. Vbi contingit aliquando peccata fieri grauissima, & à quibus maximè cauèdum est: propter quæ duæ vrbes Sodoma & Gomorrha cum omnibus incolis, & regione circumiacente in abyssum corruerunt. Vitia propria idololatrarum, quibus, vt Hieronymus inquit, *Græci & Ro-*

N 3

*mani*

mani grauissimè laborauerunt, donec sub Constantino imperatore Christi Euangelio coruscante, & infidelitas vniuersarum gentium, & turpitudine detecta est. Vnde vnusquisque debet circa ista valde aduertere, ne committat aliquid carnale, in quo conscientia eius remordeat, & naturaliter erubescat: aut recta ratio dicat inesse turpitudinem, quam non auderet palam facere aut diuulgare.

*Quid de osculis, cantionibus lubricis, choreis, & colloquijs inhonestis, tactibus impudicis, visu procaci & id genus alijs?*

Hæc impuræ libidinis præludia sunt, eamque vehementer inflammant, ideoque hoc præcepto prohibita esse intelliguntur.

*Matth. 5.* Nam quicumq; viderit mulierem, ait Dominus ad concupiscendam eam, iam mæchatus est in corde suo.

*Somnius in hoc præcepto. cap. 7.* Igitur & qui osculatus est, qui prope-

ludit, qui choreas simul duxit, qui miscuit pedes: si modo id ipsum fecerit ad concupiscendum eam, hoc est, ad illum finem concupiscentiam vel excitet, vel expleat. Vt mittas saxa deorsum non est opus impetu ipsa suo pondere ruunt. Sensus & cogitatio humani cordis per se in malum prona sunt, præcipuè in opus concupiscentiæ, non minus quam saxa in motum deorsum. Qui igitur addit oscula, lusus aliaque incitamenta lasciuia, & dicit: Nolo quod reliquum est non minus insanit, quam qui oleum igni inijcit

inijcit, & dicit: Nolo vt ardeat. Vnde Apo-  
 stolus: Fornicatio autem & omnis immundicia, *Ephes. 5.*  
 aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet  
 Sanctos, aut turpitude, aut stultiloquiū, aut scur-  
 rilitas, quæ ad rem non pertinēt: sed magis gratia-  
 rum actio. Et Ecclesiasticus: Noli circumspicere *Eccles. 9.*  
 in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius.  
 Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne cir-  
 cumspicias speciem alienam. Propter speciem mu-  
 lieris multi perierunt: & ex hac concupiscentia  
 quasi ignis exardescit. Specie mulieris alienæ multi  
 admirati, reprobī facti sunt. Colloquium enim illi-  
 us quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere ne  
 sed eas, neque accumbas cū ea super cubitum. Hinc  
 lamentans quidem aiebat: Et oculus meus de *Tbren 3.*  
 prædatus est animam meam.

In his omnibus magis minusuè peccare  
 contingit. Prudens Confessarius in confes-  
 sione ipsa iuxta conditionem confitentis,  
 dabit conueniens remedium, & ad cognos-  
 cendum & præcauendum hunc contagio-  
 sum morbum, de quo extra salutare illud iu-  
 diciū, admodum parce loquendum.

*Quid faciendum hisce inquinamentis suam con-  
 scientiam expiare volenti?*

Primum, perspiciat num corde tantum,  
 an verò etiam opere ipso peccauerit.

Secundò, cuius naturæ scelus, si quod  
 commissum fuerit, existat: Sunt enim in hoc  
 peccati genere variæ formæ, natura sua se-  
 iunctæ.

N 4 Ter-

Tertiò, numerus peccatorum tam cordis, quàm operum cuiuscunque speciei seu naturæ certus in confessione Sacramenti explicandus, quod si id fieri nequit, tantum indicandus, quantus esse, post diligentem disquisitionem, bona fide à pœnitente iudicatur. Si nec incertus ille iniri possit, tempus quo in fœtido illo luto fixus inhæsit, & frequentia peccati, ac peccandi occasiones, & delinquentis in vitium pronitas erunt manifestanda.

*Qua ratione corde peccatur?*

Cordis oblectatione illicita duplici modo omnino delinquimus. Prior est, cū quidem turpe quid facere nolumus, etiam si nec occasio, nec timor, aut pudor humanus facinore retraheret; voluimus tamen volentes ac scientes animo inhonesti, propter eam quam ex ipsorum meditatione, percipimus voluptatem.

Posterior est, & quidem priore grauior, cum non tantum placet, ex rei turpis consideratione, oborta delectatio, sed in opus perpetrandum, si facultas esset, nec timor, aut pudor humanus, aut simile quid obstarret, voluntas superata consentit. In vtroque horum, peccatum est mortiferum, & eiusdem quidem naturæ seu speciei, cuius est & opus.

*Quas*



*Quas habet luxuria species?*

Lues hæc tam est non fœda modo, sed & contagiosa, vt non nisi magna moderatione & prudentia, coram promiscua plebe sit loquendum. Omnibus tamen hoc nosse conuenit: peccatum, id in solutis, fornicationem: in virginibus stuprum: in coniugibus adulterium: in consanguineis vel affinibus, in cœstum: in castitatis voto astrictis, sacrilegium dici. Si ad aliquod horum vis accedat, addit nouam malitiam, & facinus ipsum raptus nuncupatur.

*Cur non annumeras istis concubinatum?*

Concubinatus non tam est impuritatis species, quam status quidam eorum, qui extra matrimonium quasi matrimonialiter uiuentes, conuictu, domo, thoro rerum denique & corporum vsu indiuidui, qui omnia quæ matrimonij sunt sibi vsurpant, præter institutum Dei ab initio factum inter masculum & fœminam, bonum prolis & sanctiones Sacramenti. Siquidem hæc tria oderrunt: reliqua verò, quæ ad libidinem spectant, laudant, volunt, amplectuntur, non obstante iniuria prolis, non Dei & naturæ instituto, non positivæ legis prohibitionibus, non scandalis, non periculis mortis, nõ statu damnationis in quo sunt, quamdiu in eadem domo etiam castè viuunt, non sine de

*Concubini non minus temerarij quam sunt frontosi.*

*Iidem in-  
fames ni-  
hil illis  
profunt E-  
leemosyne  
al. aq̄ue o-  
pera alio-  
quin bona.*

*Dist. 28.  
c. Decer-  
nimus.*

honestatione suarum personarum ac fami-  
liarum: quoniam infames habentur, quicun-  
que tales sunt, denique non obstante iactu-  
ra temporis, ætatis bonorumque operum.  
Hi enim meritum nullum habent, etiam si  
omnem substantiam suam in eleemosynas  
pauperum distribuerent. Porro hoc in Cle-  
ricis scandalum est longè turpissimum, ob  
quod Innocentius secundus iam olim offi-  
cio & beneficio Ecclesiastico priuandos sta-  
tuit. Cum enim ipsi, inquit, templum & vasa  
Domini ac sacrarum Spiritus Sancti esse de-  
beant & dici, indignum est eos cubilibus &  
impudicitijs seruire.

*Estne satis vt concubinarium & concubina ad pani-  
tentiam recipientur absoluanturq̄, si à praua  
consuetudine impuroq̄, commer-  
cio abstineant?*

Scripturæ sacræ non peccata tantum, sed  
& scandala, quibus offenduntur fratres, pro-  
hibent, inter quæ, non extremum est concu-  
binatus, qui & incentiuum libidinis inclu-  
dit, & continuationem rei illicitæ. Quocir-  
ca ad sui veram pœnitentiam exigit, non  
tantum omissionem actus carnalis, sed & re-  
cessum à tali statu, sic vt abijciatur scortum  
à conuictu & cohabitatione, omnique fami-  
liaritatis consuetudine, nedum à thoro &  
thalamo. Qui vel concubinas vel concubi-  
narios

binarios ipsos præsumperit absoluerè, cum adhuc in eodem contubernio morantur, sacrilegè agunt, & non minus, forte etiam magis, quam concubinarij ipsi delinquunt. Et hoc non de Ecclesiasticis tantum, sed & Laicis cuiuscunque illi sint conditionis: status, & dignitatis dictum sit.

*Nota Con-  
fessarie cõ-  
cubinario-  
rum & cõ-  
cubinarũ.*

*Vt suos Ministros sancta mater Ecclesia hoc flagi-  
tio purgaret quam prudentiam seuerita-  
temq; adhibuit?*

Quantis pœnis, scædam hanc impuram-  
que hominum colluuiem, suis decretis Pon-  
tifices, & sacris sanctionibus concilia addi-  
cant, reperias passim cum agitur in iure de  
vita & honestate Clericorum, deque coha-  
bitatione eorundem ac mulierum.

Novissime sancta Synodus Tridentina *Sess. 25. de  
re for. cap.* prohibet Clericis quibuscunque, ne concu-  
binas aut alias mulieres, de quibus possent  
haberi suspicio, in domo, vel extra detinere,  
aut cum eis vllam consuetudinem habere,  
audeant. Si à superioribus admoniti non  
abstinuerint, priuant eos facto ipso tertia  
parte fructuum, obventionum ac prouentu-  
uum beneficiorum suorum quorumcun-  
que: sin verò in eodem delicto cum eadem,  
vel alia scemina perseuerantes, secundè mo-  
nitioni adhuc non paruerint, prouentus  
omnes eo ipso amittunt, & à beneficij admi-  
nistracione sunt suspendendi, si nec sic eas  
expu-

*Que sit  
Prælatorū  
pœna ad  
flagitia  
Clerico-  
rum con-  
niventū.  
De vita et  
honestate  
Clericorū  
c. vt Cleri-  
corum.*

expulerint, priuandi sunt perpetuo omni-  
bus officijs & beneficijs Ecclesiasticis, deni-  
que si nihil hæc profuerint, excommunica-  
tionis gladio sunt plectendi.

De Prælatiſ qui tales fouent, maximè ob-  
tentu pecuniæ, vel alterius commodi tem-  
poralis, vt pari vltioni ſubiaceant, quibus ip-  
ſi delinquentes, in generali Concilio ſub In-  
nocentio tertio, ſtatutum eſt.

*Quid præterea hic prohibitum intelligitur?*

Gula ipſa libidinis, nimirum ſeminarium  
& fomes de qua re ſerio nos Dominus ad-

*Lucæ. 21.  
Rom. 13.  
De cōmeſ-  
ſatione &  
ebrietate  
popularia  
multa &  
digna que  
explicen-  
tur vide  
Heſſelium  
in hoc præ-  
ceptum à  
capite 16.  
vſque ad  
finem.  
Quare exi-  
guum aut  
nullū ple-  
viſque vi-*

monet: *Attendite ( inquit ) ne grauentur corda  
veſtra crapula & ebrietate.* Et Paulus: *Non am-  
bulemus, ait, in comeſſationibus & ebrietatibus.*  
Requirit è diuerſo vt modeſtiam in rebus  
omnibus ſeruemus.

*Quid ſit gula & quas habeat ſpecies, expone.*

Gula cibi potuſque quædam eſt immo-  
deratio, cuius quinque enumerari ſolent  
ſpecies. Etenim aliquis excedit, aut compa-  
rans cibos nimis precioſos, aut curioſius pa-  
ratos quærens: aut vltra modum cibum ſu-  
mens, aut anticipans tempus, aut ardentius  
in cibos inhians. Suntque omnia hæc pecca-  
ta aliquando lethalia: aliquando minora. E-  
brietas verò, in qua mens rationis vſu pri-  
uatur, ex ſe peccatum lethale eſt.

*Deſa-*

*Defectus rationis in ebrijs estne peccatum?*

Comestiones & ebrietatem inter scelera ea quidem recenset Apostolus, quæ à regno Dei excludunt: Veruntamen destitutio vsus rationis peccatum nō est, sed potius immoderatio potationis, quæ peccatum est, effectus, & peccantis miseria est rationis euersio. Est autem inter hæc differentia, quod ebrietas vna, quantum in se est totum hominem indis ponit vt in Loth. D. Ambrosius notat, quod non facit excessus vnus in cibo. Vnde vna ebrietas voluntaria est peccatum mortale. Dico voluntaria, quia si subreperet per ignorantiam potus inebriatiui vel non aduertenti homini sobrietatis studioso, peccatum mortale non esset censendum. Potest autem vna comestatio etiam ex proposito parata contingere absque mortifero reatu.

Rom. 13.  
1. Cor. 6.  
Gal. 5.

Lib. de  
Abraham.  
c. 6.

*Quid de potatoribus sentiendum qui nunquam inebriantur?*

Non est cur sibi blandiantur qui consuetudine potandi fortes facti sunt, vt citra ebrietatem multū vini ferre possint. Hi enim non solum per multam & frequentem potationem, officia sibi incumbentia (ex quibus forte religionis & bonæ politicæ incolumitas pēdet) negligunt, sed & notabiliter mentem suam grauant, cogentes eam ferre potum immoderatum, vnde & vitam suam  
abbre-

*Esa. 5.* abbreviant sui ipsorum homicidæ. Ideoque Propheta eos damnat. Væ inquit qui potentes estis adbibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

*Ebrietatem qua mala sequuntur?*

*Esa. 5.* 1. Comestiones & ebrietates spinæ sunt vel maximè suffocantes semen verbi Dei, neq; enim possunt vacare voluptatis sectatores, vt considerent opera domini; aduersus quos exclamans Isaias: Væ, ait, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam vsque ad vesperam vt vino æstuetis. Cythara, & Lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiujs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.

*Prov. 23.* 2. Ex his innumera oriuntur peccata, præcipue autem libido & inexplebilis auaritia.

3. Hinc morbi ac miseræ corporales prope infinitæ cui Væ, inquit sapiens, cuius patris venter? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit cum splenduerit in vitro calor eius. Ingreditur blandè sed in nouissimo mordebit vt coluber & sicut regulus venena diffundet oculi tui videbunt, & sicut regulus venen-

venena diffundet, & eris sicut dormiens in medio mari & quasi sopitus gubernator amisso clauo. Et dices, verberauerunt me & non dolui; traxerunt me & ego non sensi. Item vigilia & cholera & tortura viro infrunito somnus & sanitas in homine parco. Vinum in iucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit. Denique propter crapulam multi obierunt. Eccles. 31.

*Quos præ alijs maxime dedecet ebrietas  
& comessatio?*

Duo præcipuè mala hæc ipsa inducunt. Corpus ad libidinem inflammant, & rationem impediunt atque obsuscant. Vnde eos quos par est præ reliquis castitati studere, vsuq; rationis præualere hæc maxime dedecent vt sunt.

1. Sanctimoniales, viduæ, & omnes qui castitatem vouerunt aut profitentur. Vidua *1. Tim. 5.* enim in delitijs viuens mortua est.
2. Mulieres omnes, cuius sexus præcipuum ornamentum est pudicitia. De quibus Timotheo suo præcipit Paulus sobrias esse oportere, & non male Poeta  
quam.

quamuis gentilis. Turpe iacens mulier multo madefacta Lyeo. Optime sapiens. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi sterco in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.

3. Omnes quorum est alios regere, aut verbo aut exemplo alios docere, quod nisi temperantes sint præstare nequeunt.

*Quinam sunt illi?*

In his primi sunt Episcopi, Prælati, Pastores, Sacerdotes, Canonici & prædicatores, in quibus adeo turpis est ebrietas, ut B. Paulus à sacris ordinibus suscipiendis vinolentos arcendos sanxerit. Immo ut in veteri testamento terribili exemplo Dominus Nadab & Abiu filiorum Aaron per ignem egressum docuit internectione quam in suis ministris detestetur temulentiam. Itaque dixit Dominus ad Aaron, Vinu & omne quod inebriare potest, non bibetis: tu & filij tui quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, docetisque filios Israel omnia legitima mea.

*Leu. 10.*

*Eccl. 10.*

2. His proximi sunt Reges; Duces, Iudices & senatores, væ enim terræ cuius Rex puer est & cuius principes mane comedunt.

3. Post



3. Post illos sequuntur Patres ac Matres familias, & senes omnes de quibus Tito mā- *Tit. 2.*  
dat Apostolus vt senes deceat sobrios esse, anus similiter non multo vino seruietes vt doceant. Hortandi demum iuuenes vt sobrij sint quandoquidem ipsi sua sponte pro- ni sunt ad libidinem.

*Quas ob causas aut parua aut nulla peccata vulgo existimantur Ebrietas & comessatio.*

Prima causa est vehemens inclinatio & amor huius mali. Bonum enim esse quisque æstimat, quod diligit, etiã si alij, qui ita affecti non sunt, malum esse aperte videant, patet hoc in eis quæ de re aliqua contendunt. Sæpè enim manifestum est alijs vteriniquam causam foueat, quæ tamen ipsam tuenti iusta videtur. Verissimum namque est quod dici solet, vnumquemq; in sua causa esse cæcum.

Secunda est consuetudo, à qua iam dicta *Ench. c. 8.*  
prima causa sumit incrementum. De hac *80.*  
re S. August. Peccata quamuis magna & horrenda cum in consuetudinem venerint aut parua aut nulla esse creduntur vsq; adeo vt non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quando sicut scriptum est, laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, qui iniqua agit benedicatur. Hæc iniquitas clamor est, de quo  
○ Isaias.

Esa. 5.

Isaias. Expectaui vt faceret iudicium, fecit autem iniquitatem, & non iustitiam sed clamorem. De quo etiã in Genesi. Clamor

Gen. 18.

domorum & Gomorrhæorum multiplicatus est sic & nostris temporibus mala etiam talia in apertam consuetudinem iam venerunt vt pro his non solum aliquem Laicum excommunicare non audeamus sed nec clericum degradare. Hęc August. Verbum hoc verissimum experimur hodie in comestationibus & ebrietatibus. Vt enim de Ecclesiasticis taceamus, plebei postridie quã ebrii fuerunt gloriantur, ebriosque se pridie fuisse libenter commemorant. Nobiles vero primates & ditiores ineptis & sumptuosis comestationibus tumescunt.

Tertia, quæ ex his sequitur, opinio se vel alium inebriare partim esse necessitatis, partim etiã virtutis. Necessitatis quidem, quia multi etiã ex eis, qui nihil dubitant ebrietatem malã esse, timent offensuros alios, nisi se & illos inebrient, vel superfluis comestationibus tractent. Et dum hominibus carnalibus placere quærunt, Deum offendunt. Virtutis vero esse putatur, dum luxuriosa ebrietasque conuiuia & comestationes, veluti ad amicam spectantia, pro beneficijs habentur imo & religionis, quando his ipsis patronos suos, sanctos, præcipua festa, dedicationis Ecclesiarum, natiuitatum, nuptiarum, & funerum solemnia celebrant.

Quar-

Quara, quod his vitijs obnoxij sint homines pietatis speciem in aliquibus habentes, quamuis virtutem abnegent, & voluptatum sint magis amatores quam Dei. Hac *2. Thim. 3.* enim specie pietatis fit, vt ipsemet sibi persuadeant, se nō multum peccare, vtpote iustos, & alij idem reputent. Quæ ratio haud parum valet in sacerdotibus, Concionatoribus, Doctoribus & Religiosis, contra huiusmodi Propheta sicut ait Dauid putauerunt se habere vasa cantici bibentes vinū in phialis & vnguento optimo delibuti, & nihil cōpatiebantur super contritione Ioseph. q. d. Quia ore canebant Psalmos Dauidicos, reputauerunt se sanctos sicut Dauid: cū tamen dediti essent temulantiæ, & non tangeret eos miseria populi, & nec lugerent super iniquitatibus eius, sicut solet Dauid tabescere zelo legis Dei.

Quinta causa. Quia multi laborant grauioribus iniquitatibus, vt fornicationibus, oppressionibus aliorum, fraudulentij hinc fit comparatione vt ebrietates & comestationes, aut parua aut nulla esse videantur peccata. Contra quod malum Apostolus clamat opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in alio vnusquisque enim opus suum portabit, quod d. Examine quisque opera sua ad normam legis diuinæ,

O 2 & non

deatur e- & non putet se ideo sanctum quia aliis  
brietas, ior est, vel apparet.

vide c. 20.

Hessel.

Eccle. 28.

*Quid est modestia?*

Virtus quædam, quæ modum regulat  
que in omnibus statuit. Atque ideo est tem-  
perantia quædam. Nam vt de singulis lo-  
quamur, de auditu sapiens ait: *Sapi aures tuas  
spinis, & noli audire linguam detrahentem:* Et  
lingua: *facito (inquit) frenos ori tuo.* Et Iac-

Iacob. 1. bus: *qui se putat (ait) religiosum esse, non refrenat  
linguam suam, sed seducens cor suum, huiusmodi  
est religio.* De oculis autem dicit Iob: *Peccatum  
fædus cum oculis meis, ne cogitarem quidẽ de  
gine.* Et Dauid ita præcatur: *Auerte oculos tuos  
de ceteris omnibus corporeis gestibus & motibus.*

Iob. 31. *scriptum etiam sic est: amictus corporis, & mo-  
dentium, & gressus hominis indicant de eo. Peccat  
tur itaque per immoderatum vsum horum*

Psal. 118. *Circa ludum quoque, solatiaque humi-  
næ vitæ aliquando necessaria, esse debet  
quædam temperantia & modus: excessus  
in eis iuste prohibetur. Vnde CHRISTUS  
clamat: Væ vobis, qui ridetis: & in Tobia  
ait: Nunquam cum ludentibus miscui me, nec  
cum eis, qui in leuitate sensus ambulant, partem  
me feci. Est autem excessus in his peccatum  
maius aut minus pro materiæ varietate.*

Eccle. 19. *In vestibus ornatuq; seruanda ne est sua tempe-  
rantia & regula?*

Lucæ. 6. *In vestibus ornatuq; seruanda ne est sua tempe-  
rantia & regula?*

Tob. 3. *In vestibus ornatuq; seruanda ne est sua tempe-  
rantia & regula?*

*In vestibus ornatuq; seruanda ne est sua tempe-  
rantia & regula?*

*In vestibus ornatuq; seruanda ne est sua tempe-  
rantia & regula?*

Etiam, nam & mulieribus ipsis, quibus *I. Tim. 2.*  
 natura ornatum ampliorem permisisse vi-  
 detur, Apostolus modum in ornando po-  
 nit, scribens: *Ornantes se cum verecundia & so-  
 brietate, non in tortis crinibus, aut auro, aut mar-  
 garitis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres,  
 promittentes pietatem per bona opera. Quæ qui-  
 dem multo magis viris dici possunt.*

*Sunt ne & alia huc pertinentia?*

Possunt ad hoc præceptum reduci præ-  
 cepta de fortitudine, virtutibusque illi con-  
 iunctis. Item prohibitiones vitiorum op-  
 positorum. Sicut enim temperantia dele-  
 ctabilibus vitæ moderatè vitur: sic hæc  
 dolores, vulnera, & mortem ipsam sustinet, *Fortitudo*  
 ac contemnit. Itaque consistit hæc virtus in *in quo con-*  
 moderato vitæ, atque incolumitatis amore, *sistat.*

vitam tamen ipsam propter melius bonum,  
 Dei scilicet honorem, virtutem, salutem a-  
 nimæ, aut Reipub. defensionem despiciens.  
 De quo est illud præceptum Christi: *Ne ter-* *Lucæ. 12.*  
*re animi ab ijs, qui occidunt corpus, & post hæc non*  
*habent amplius, quid faciant. Ostendam autem*  
*vobis, quem timeatis. Timete eum: qui postquam*  
*occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.*  
 Est ergo immoderatus timor hoc præcepto  
 prohibitus.

*Fortitudini quæ virtus coheret?*

Primò, patientia, qua homo non deijci-

O 3 tur

- tur tristitia in malis aduersisque, sed fortitudo  
*Luca. 21.* stat animo: de qua Dominus: *In patientia* (inquit)  
*Jac. 5.* *vestra, possidebitis animas vestras.* Et Iacobus: *Patientes,* (ait) *estote fratres.* Prohibetur igitur hic deiiciens illa tristitia, de qua Paulus: *Sæculi* (inquit) *tristitia mortem operatur.*

- Item perseverantia, longanimitasq; sunt fortitudo quædam: per quas homo, nec diuturnitate laboris, nec longiori dilatione premij deiicitur à virtute: & de quibus Dominus inquit: *Qui perseverauerit usq; in finem, salvus erit.* Prohibetur itaque leuitas, atque inconstantia: per quas facilè homines retrocedunt propter occurrentes molestias, aut defectum delectationum; contra quos Dominus dixit: *Nemo apponens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

- Magnanimitas etiam fortitudo quædam est, qua magna, quando opus est aggredimur: nec retrahimur difficultatibus: cui opponuntur: tum pusillanimitas, quæ præ deiectione animi non audet aggredi ea, quæ debet: tum præsumptio, quæ ea, quæ sunt supra vires aggreditur.

Est autem omissio actus fortitudinis, & extremorum eius commissio peccatum nonnunquam etiam graue.

## SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

NON FVRTVM FACIES. *Exod. 20.**Quid septimum complectitur?*

**N**E vi, fraude, aut quomodocunq; præter ius falsq; rem alienam, aut alienæ rei vsum, Domino inuito vsurpemus vetat, aut quouis modo in temporalibus damnum adferamus.

Hoc primum fit per furtum, & per rapinam: cum vel clam, vel aperte, & vi alienum capimus.

Secundò, per iniustam quamcunq; commutationem: vt cum pluris venditur, vel minoris emitur res, quam valeat: aut cum fraus alia ab emptore vel venditore committitur in occultandis vitijs venditæ rei: aut alio id genus modo.

Tertiò, per iniustitiam in mutuo dando. Est enim ea vsura aperta, vel palliata. Quod prohibet Christus Dominus: *Mutuū* (inqui *Luce. 6.* *ens) date nihil inde sperantes.*

Quartò, per peccata iniquitatis iudicij, quod est circa bona, siue commodum aliquod, aut incommodum: siue illa iniquitas sit ex parte litigantium, siue patronorum, siue testium, siue iudicis. Hi enim omnes si quid ledunt fraudibus, aut quouis alio modo, peccant, tenenturque resarcire incommodum.

O 4 Quin-

Quintò, per peccata iniquæ distributionis dignitatum bonorumque Reip. cum respicitur in distributione persona: nec consideratio habetur meritorum: vt cum indigni dantur, vel minus digno. Quod etiã & peccatum est, & ad restitutionem obligat eodem modo, quo fieri potest.

Sextò, per Dominorum immoderate exactiones, omniumque iudicum & officialium militumque extorsiones ultra propria stipendia: quod & prohibebat Ioannes *Luc. 3. Estote (inquiens) contenti stipendijs vestris. Et rursum: Neminem concutiatis.*

Septimò, per eorundem negligentias, atque incurias: Ex quibus damna detrimentaque eueniunt, vel Reipubl. vel subditi vel litigantibus: sicut ex dilatione sententiarum, &c. Quæ omnia etiam ad restitutionem obligant.

Octauo, per subditorum in Dominorum fraudem, aut subtractionem debitarum iustarumque exactionum, contra illud Pauli *Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.*

Nono, potest ad hoc præceptum reducta auaritiæ prohibitio: quæ est immoderatus pecuniæ amor: quam Paulus *simulachrum et seruitutem* dicit, *radicemque omnium malorum*. Estque sine dubio lethale peccatũ: cum amor pecuniæ eo hominem rapit, vt contra præceptum



cepta Dei agat, velin ipsa vltimum finem ponat.

Decimo, prodigalitas, viciū omninò avaritiæ oppositum, qua immoderate quis sua dissipat. Quod fieri vix potest sine eorū damno quorum cura cuique incumbit. Est certè id peccatum grave, cum grauis fit iactura. In hoc genere perniciosius peccatur, quam æstimari diciūe possit ab ingredientibus religionem, qui & si deinceps de patrimonio Christi victuri sint, non tamen quæ habent Christo largiuntur, in pauperes aliosue vsus erogando, quod religionis Monasticæ fundamentum est sed ad augēdas confanguineorum, aut aliorum copiosorum hominum opes perditè profundunt. Hi nō solum B. Francisci iudicio (quamuis id per magni sit faciendum) sed etiam B. Augustini indigni sunt, qui in cœsum religiosorum admittantur. Equidem B. Basilius disertè sacrilegij reos dicit, tam eos qui sua infideliter dispensant, quam qui ingredientium bona aut occupant, aut quouis modo impediunt, quo minus, secundum Euangelium impendant. In qua re non hi tantū sed & Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, & Gregorius alijque patres mirè consentiunt. De his & de fatuitate seu potius dementia eorū etiam Laicorum, qui cum opibus præstant, dum moriuntur. Christo iudici suo, vel exi-

guum aliquid comparatione suarum possessionum, vel nihil in testamēto conscribunt, sed filijs aut alijs hæredibus relinquunt omnia, de his inquam, tam doctè quam fusè Saluianus bonus & peruetustus auctor in nobili illa sua Epistola, seu potius opere, quam Timothæi titulo ad vniuersam Ecclesiam scripsit. Qui nosse desiderat, Quid de illa sentiant reliqui patres, legat dictam Epistolam, quæ cum reliquorum Patrum testimonijs prodijt. Legat etiam Ioannem Molanum de testamentis pijs.

*Est ne magnum delictum iniquitas?*

*An nescitis, (ait Apostolus) quia iniqui regnū*

*Peccata Dei non possidebunt? Et S. August. Si in ignem*  
*mittitur, qui non dedit rem propriam, quò putas*  
*mittendus erit qui inuasit alienam? Si cum diabolo*  
*ardet, qui nudum non vestiuit, vbi putas arsurus est*  
*qui expoliavit? Quid recipiet qui aliena tulit, si*  
*sempet ardebit, qui sua non dedit?*  
*Ecœnatorum verò sic idem August. al-*  
*loquitur; O homo, quid scœnaris homini? scœn-*  
*rare Deo vsuras, scilicet ei in pauperibus suis subue-*  
*niendo & centuplum accipies, & vitam æternam*  
*possidebis. Idcirco nimis es ingratus, qui ad tales*  
*vsuras non vis commodare Deo, ad quales mutua-*  
*res vel iudæo.*

De vsura, optime Catechista, in ipsam Praxim ea retulimus, quæ communem plebeculam scire oportere iudicauimus.

De

De Simonia etiam nonnulla. Tu inde petita diligēter & dilucide enuclees; est enim per necessarium præsertim hoc tempore.

De restitutione agere vtilissimum esset, de qua eos consules, qui conscientia casus ex professo pertractant.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

NON LOQVERIS CONTRA Exod. 20.  
proximum tuum falsum testi-  
monium.

*Quid hoc præcepto vetatur?*

**N**Ominatim omne mendacium perniciosum: siue dum vocaris ad testimonium ferendum, in iudicio siue extra iudicium in vulgari, & communi locutione: Implicite etiam omnia peccata ad locutionem pertinentia: quibus saltem infertur nocumētum proximo: vt sunt detractiones, calumnia, irrisiones, & huiusmodi.

*Estne mendacium omne fugiendum?*

Ita Apostolus iubet & suadet ratio. Porrò inter mendacia, quæ pernitiōsa dici solent, præcipuè detestanda sunt.

*Quenam sunt alia?*

Horum tres species numerari solent. Prima eorum qui mentiuntur, vt animæ proximi nocumentum adferant: veluti qui volunta-

lunta-

luntate fallendi, afferunt aliquid falsum, contrarium fidei Catholicæ, aut sacræ scripturæ, aut bonis & Christianis moribus. Et hæc est prima species mendacij perniciosi.

Secunda, qui mentiuntur volentes tantummodo alteri iniuste nocere, in corpore, in rebus, in fama, & sic mendacium nulli prodest, & alteri nocet. Et hæc est secunda species.

Tertia, qui mentiuntur volentes proximo in bonis suis damnum inferre, sed sibi aut alteri prodesse: vt faciunt mercatores, & calumniatores. Et hæc est tertia species. Quæ tres species mendacij perniciosi mortales sunt, quia *os quod mentitur occidit animam.*

*Iocosum aut etiam officiosum quod vocant mendacium proferre licet?*

Summopere cauendum est omne mendacium. Quamuis enim nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, vt si quis pro omnium mentiatur salute: tamè difficilia & laboriosa sunt figmenta mendacij: qui autem verum vult dicere, non laborat. Quietiores enim sunt boni quam mali, & absolutiora sunt verba veracium quam figmenta mendacium. Gregorius: *Nihil est ad defendendam puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius: Nam dum mendax falsitatem suam tueri cogitur, duro cor labore fatigatur.* Idè: *Qui*

*Qui amici esse veritatis potuerunt sine labore, vt peccent laborant: cumque viuere simpliciter renunt, laboribus exigunt, vt moriantur.*

*Qui dicuntur Simulatores?*

Qui factis, scriptis, nutibus, signis, & alijs actibus exterioribus simulant id esse quod non est, vt solent hypocritæ. Per simulationem enim homo mentitur facto, sicut per mendacium mentitur verbo. Ambrosius: *Cauete fratres mendacium: quia omnes qui amant mendacium, filij sunt diaboli: non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est.*

Simulatio sicut mendacium non est de se mortale, nisi ex fine, vel aliunde adiungetur alia transgressio.

*Quid est calumniari?*

Primò, in proximum suum vel falso vel *Calumnias* iniuste crimen intendere. Non enim illi tantum calumnantur, qui innocenti crimen impingunt, verum etiam illi, qui veri criminis occulti tamen, absque necessitate, ac rationabili causa palam quempiam accusant, aut reuelant non seruato iuris ordine.

Quo equidem peccato peccari potest ex parte iudicis, ex parte accusatoris, ex parte rei, ex parte causidici, ex parte cognitoris ipsius causæ.

Secundò, his annumerandi qui bona alterius

terius

terius opera & benefacta conantur ostēdere mala, aut fictē facta, vt eū hypocritam ostendant, aut aliorum ipsi consient inuidiam.

Tertiò, item qui in iudicio interrogati iuridicè, cum dolo malo respondent, aut cum rei sint, verum fateri nolunt, in casu in quo tenentur fateri veritatem. Quando verò teneantur, ex conscientia casibus Catechista petet.

*Qui peccant detractiōe?*

*Detractio.* Primò, qui absentis famam denigrant, voluntate famam lædendi: siue fiat dicendo verum, siue falsum, siue asserendo, siue referendo, siue addendo, siue minuendo, siue interpretando, siue alio quouis modo, & tales tenentur ad restitutionem famæ, si illa detractio importat infamiam. Auferunt enim homini famam, *quæ melius bonum est, quam diuitiæ multæ.* Vnde Hieronymus contra detractores: *Si vis me corrigere, delinquentē aperte increpa, tantum ne occulte mordeas. Quid enim mihi prodest, si alijs mala mea referas? si me nesciente, peccatis meis, inò detractiōibus tuis alium vulneres, & certatim omnibus narres: si singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris? hoc enim non est emendare me, sed vitio tuo satis facere.*

2<sup>o</sup> Qui ex loquacitate & non animo, alterius famam lædendi aliena peccata commemorant.

Tertiò, qui ex voluptate quam in audienda

dienda proximi infamia percipiunt, delatoribus aures arrigunt. Bernardus: *Porro detrahente, an detrahentem audire, quid horum damabilius sit non facile dixerim.* Hieronymus: *Si hilarivultu audias detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristici vultu hunc audias discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.*

Quartò, qui non defendunt famam proximi iniuste diffamati, quando possunt & debent, & propterea læsa est proximi fama: hominienim Christiano parum esse debet, inimicitias aliorum non excitare, vel augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere studeat bene loquendo.

*Quantum in hisce inest peccati?*

Quatuor quæ sub detractione hic ponuntur, duo scilicet ex parte detrahentis, & duo ex parte audientis, sic distinguenda sunt: ut primum ex se mortale & contra charitatem iudicemus: nisi res tam parua esset, ut pro nihilo duceretur.

Secundum verò, cum scilicet intentio detrahendi deest, iudicetur effectu sequenti. Tenetur enim, cum non intendit lædere, cauere ne lædat.

Audire autem libenter detractiones, aut non defendere famam eius, cui detrahitur, cum in detrahente percipitur iniquitas, & iniustitia in proximum, nec is qui audit, vtili aliqua & iusta causa aures præbet, de se  
simi-

similiter, sunt proculdubio contra charitatem: maximè verò in Prælatiſ & Superioribus, quorum eſt hæc prohibere.

Qui ſibi iſſis detrahunt, & ſeipſos diffamant metu & quæſtionibus compulſi, quantum peccent, & an ad reſtitutionem teneantur, quæſtio eſt difficilis, de qua Doctores variè ſentiunt.

DE DERISIONE, CONVITIO,  
contumelia & improprio.

*Qui conuicio, irriſione, improprio & contumelia proximum offendunt?*

Qui verbis aut cachinnis aut naſo corrugato, alias irrident, aut geſtus & corporis habitus figmento illudunt: quod peccatum tanto eſt grauiùs, quanto maior debetur, reuerentia ijs qui deridentur.

Qui beneficium quod in alterum contulerunt tempore indigentia, eidem coram multis exprobrant, in diſpendium honoris eius.

Qui animo inferendi iniuriam, aliquid criminofum, aut animæ corporiſque vitium exprobrant.

Qui etiam ſine animo inferendi iniuriam ea dicunt, ſi proximo ea iniuria damno eſt.

Hæc ex intentione lædendi honorem, graua ſunt: niſi, circa minima eſſent: animo  
verò



verò corrigendi in his qui auctoritatem habent sunt etiam licita: semper tamen, etiam cum adest bonus animus, cauendum est ne damnum quod non intenditur, sequatur, multo magis, cum ex leuitate animi hæc dicuntur. Si non cauit, cum ratio doceret esse cauendum imputatur.

Derisio est etiam mortalis, cum confusio intenditur proximi, & mentis quædam amaritudo: quæ non parua damna sunt, sed verè contra charitatem: & tanto periculosiora, quanto nonnunquam minus curantur. Et nonnunquam minimo verbo aut signo, grauis proximo confusio illata est.

*Susurro quis dicitur?*

Qui verbo vel factis disseminat inter fratres vel amicos discordias, tanto contumelioso & derisore nequior, quanto amicitia maius bonum est, fama ac honore. Hinc Ecclesiast. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes,* Et Salomon inter septem sceleratos, hunc pessimum esse pronunciat. Quantum verò bonum sit amicum habere fidelem, Sapiens luculenter explicat, dum ait: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Et qui metunt Dominum inuenient illum.*

*Susurratio*

*Eccle. 28.  
Pro. 6.*

*Eccle. 6.*

P Num

*Numquid vera ac bona narrando susurro aut bilinguis esse poterit?*

Ita sanè: non enim refert an susurro narret aliqua bona, quæ tamen amicis displiceant, an mala: an verum dicat, an falsum.

*Ad quid obligantur discordiæ satores?*

Tenentur quã dissoluerunt, iterum colligare amicitiam. Quod si id non possint, re-cõpensationem vtriq; debent in alijs. Quocirca illud sapientis sibi quilibet dictum existimet. *Ne appelleris susurro in vita tua. & lingua ne capiaris, & confundaris: Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: Susurratori autem odium & inimicitia, & contumelia.*

*Eccle. 5.*

*Iudicio temerario aliquos peccantes proponere.*

Qui aliorum dicta aut facta, sine causa sufficienti in peiorem partem accipiunt, & interpretantur. Bernardus: *Caue aliena conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam actum quid deprehenderis, ne sic quidem iudices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem si opus non potes: puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum. Quod si omnem omninò dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicit apud te ipsum: vebemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem.*

*Qui sine sufficienti certitudine iudicant pro-*

proximum de animo seu voluntate. Nemo enim debet definitiuè asserere, etiam in corde suo, quod nescit, quando sufficientibus coniecturis res non liquet. Vnde qui conscientia suæ negligens est perscrutator, aliena solet esse curiosus explorator. De occultis etiam cordis alieni temerè iudicare, peccatum est. Etenim cuius non videntur nisi bona opera, iniquum est ex suspitione reprehendere, cum eorum quæ homini soli, qui ea admisit, sunt cognita, solus Deus iudex sit, qui iustus est & inspector verus.

Iudicium temerarium, siquidem de mortalibus fuerit, pleno atque integro consensu, contra charitatem, & mortale à Christo manifestè dicitur: Quo (inquit) iudicio iudicaueritis, iudicabimini, &c. Leues tamen motus, aut inuoluntarios circa hæc, patet non esse mortales. Sed opus est multo iudicio circa hæc, maximè in conscientijs timoratis.

*Adulatione qui peccant?*

Qui laudant aliquem de opere quod est peccatum mortale, quod peccatum est valde grare. Hinc enim mentes hominum facile corrumpuntur, & ad ea quæ laudantur (quamuis criminosa) accenduntur, & assuecunt, adeo vt non solum mala non desinant haberi, vt turpia, sed etiam habeantur

vt bona, & laude honore ac præmio digno  
quo quid peius?

Qui laudant aliquem adulando vt nocent  
ant eius corpori vel animæ.

Qui laudando alterum ei fiunt occasio  
peccati mortalis: vtpote vanæ gloriæ, iactan-  
tiæ, &c. Hieronymus: *Adulatores vt inimici  
caue, quorum sermones super oleum molles, & ipsi  
sunt iacula: corrumpunt fictis laudibus leues ani-  
mas, & malè credulis mentibus, blandum vuln-  
us insigunt.* Duo priora adulationis genera ma-  
nifestè mortalia sunt. Tertium autem si quis  
dem fiat animo in peccatum trahendi, aut  
taliter, vt merito timeri possit inde in mor-  
tale trahendum qui laudatur, similiter mor-  
tale, est, non aliàs.

*Quis peccat omissione in hoc præceptum?*

*Prax. Nu-  
mer. 24.*

Qui pro loco & tempore veritati testifi-  
casse recusat, cum nimirum vrget charitas aut  
necessitas vel proximi vel Reipub. præfer-  
tim per publicam auctoritatē ad testifican-  
dum requisitus, peccatum mortale commit-  
tit, etiam si propter ipsius testimonium quis-  
piam vita sit priuandus.

---

N O N V M P R A E C E P T V M.

*Quid prohibet nonum Præceptum?*

**S**exto præcepto vetitum est opus carnale  
& voluntas ex qua exterius oritur libidi-

nis opus. At ne quis putaret plenum & perfectum desiderium rei venereę non esse peccatum, nisi in actionem exteriorę prorumpat: id circo hoc præcepto nominatim vetatur alienę vxoris concupiscentia: implicite etiam omnia illicita desideria carnalia. Multi enim corpore casti sunt, qui voluntate adulterium commiserunt: & voluntas sine opere peccat frequenter: quando videlicet aliunde interuenit aliquod impedimentum impediens, quo minus voluntas in actionem exteriorę prorumpat. De quibus mentis cogitatibus lex humana nõ iudicat, sed tantum de ijs quę exterius apparent, factis scilicet & dictis. Lex autem diuina etiam de intimis cordis nostri cogitatibus. Nam *oculis Dei omnia nuda & aperta sunt*: apud quem omnis plena & perfecta voluntas, siue bona, siue mala, pro facto existimatur. Augustinus: *Voluntas prona faciendi, reputatur pro opere facti.*

## DECIMUM PRÆCEPTVM.

*Quid decimum præceptum vetat?*

**S**EPTIMO præcepto vetita est, actio furandi, & damnum proximo & bonis suis inferendi nec nõ voluntas, ex qua oritur actus exterior iniuste sibi vsurpandi rem proximi sui. At ne quis existimaret solam concupis-

centiam interiorē, sine exteriorē actionē  
 Peccatum non esse : Idcirco hoc præcepto  
 Dominatim vetatur interior illa voluntas  
 Concupiscentia deliberata furandi, & alienā  
 rem sibi quouis iure quaque iniuria vendi-  
 candi, si esset oportunitas & facultas, aut nihil  
 obstarēt timor & verecundia. Implicitè etiā  
 vetatur insatiabilis illa iniustè, vel vijs illicitis,  
 habendi cupiditas, tanquam os inferni  
 omnia deuorans, curis sæcularibus mentem  
 iugiter inquietans, & à Spiritualibus auocās  
 & directè charitati proximi contraria.

*In hac duo tantum peccatorum genera consen-  
 sus in vitio est?*

Non solum in his duobus, sed in omni-  
 bus etiam alijs generibus peccatorum cer-  
 tissimum est, esse quoque peccata ipsos vo-  
 luntatis consensus in opera peccatorum  
 perpetranda. Nam ita Dominus ait : *Omnis  
 qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Postea  
 verò sunt hæc præcepta tantum de his duo-  
 bus, & quia proniores sumus ad concupif-  
 cendum : & vt per illa cætera quoque intel-  
 liguntur.

*Gradus peccatorum esse video quos mihi  
 queso explices.*

Sunt sane illi Christiano, salutis suæ stu-  
 diofo, non solum diligenter cognoscendi,  
 verum etiam, quantum fieri poterit vitandi.  
 Confi-

Consideremus ergo in omni peccato exterioris operis, duos esse gradus. Quorum primus est operis ipsius perpetratio: ut, homicidium, furtum, aut quoduis aliud: in quo est completio peccati.

Secundus verò est huic propinquissimus, consensus ipse in opus, etiamsi peccatum in opus non erumpat. Est autem hic gradus prior altero in ipsa executione.

Sunt duo alij his inferiores in omnibus peccatis, qui ad hæc præcepta reduci possunt.

Horum primus prædictis duobus propinquior est, consensus nempe rationis in cogitationem peccati, atque in solam delectationem cogitationis. Quod patres vocant cogitationem morosam. Si quis enim, etiamsi nolit mœchari, tamen velit cogitare inhonesta, atque ipsa cogitatione delectari, peccauit, & mœchatus est in corde suo. Nam hæc prohibet Dominus: *Auferte* (dicens) *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Deus *Esa. I.* enim, qui corda intuetur, hæc detestatur. Vnde scriptum est: *Peruersæ cogitationes separant à Deo.* *Sap. I.* Estq; hoc etiam letale peccatum: cum quis plena deliberatione, atque consideratione hæc facit.

Secundus verò est hoc remotior à primis duobus, motus scilicet quidam appetitus nostri, in illicita ante considerationem

rationis: quem proculdubio non est in potestate nostra prohibere omninò, ne insurgat: sed possumus tamen post considerationem, aut ex toto extinguere, aut certè reprimere, ne ad consensum vsque trahamur. Propter hos motus clamat Paulus: *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Et rursus: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Quare hæc sunt venialia, atque minora peccata: quæ sancti se confitentur habere pro quibus orant: *Dimitte nobis debita nostra.* Hos ergo quatuor gradus omnis fidelis intelligat, vltimis his præceptis esse significatos.

Rom. 7.

Sunt verò inter hos aliqui alij gradus: ut cum quis dubius est, an consenserit in delectatione cogitationis, an non: aut cum nescit an plene considerauit, an non. Quæ humili animo sunt in confessione detegendæ: atque quo ad fieri possit de his instruendus fidelis.

*Hisce duobus præceptis nihil prohibetur, quod prioribus non sit vetitum?*

Distinctè explicateque vetantur nonnulla nono & decimo præcepto, quæ sexto & septimo explicate non prohibebantur. Nam exempli causa septimum præceptum prohibuit, ne quis iniuste concupiscat aliena, aut eripere conetur. Verba sunt Catechismi Romani quæ habent difficultatem. Quomodo enim



vetor concupiscere, quod iure legeque iusta  
 assequi possum, licet hoc proximo incōmo-  
 det, Qui enim vitur iure suo nemini facit  
 iniuriam, vnum malim sic recognoscere.

Hoc autem vetat ne quis vllō modo con- *Vide Cate-*  
 cupiscat accedere causam, occasionem aut *chismum*  
 titulum ob quem iure lege assequi id posset, *Rom. ad*  
 ex cuius adeptione proximo damnum im- *Parachos.*  
 portari videat v. g. non licet medico opta-  
 re multos fieri infirmos vt multū medican-  
 do lucrum faciat. Optare proximi sui mor-  
 tem, vt eius vxorem ducas, annonæ accide-  
 re penuriā, vt frumenta tua recondita mag-  
 no vendas.

Si hoc placet censoribus ita ponam fin *Prax. mō-*  
 minus, vel ipsi quid scribendum sit de- *met. 25.*  
 cernant, vel quod positum est retinebo.

Vtrumque extremorum Decalogi præ-  
 ceptorum, ex peccatis ipsis, quæ in Praxi  
 propter summam affinitatem simul  
 ponuntur, pleniùs intel-  
 liges.

P S DE

DE PRIMO MAXIMO  
MOQUE DILECTIONIS  
MANDATO.

AD CATECHISTAM

*Prefatio.*

**N**Ouatores ex falso primi dilectionis præcepti intellectu, se suosque horrendis tenebris inuoluerunt. Cum enim illud in hac vita obseruatu impossibile esse a suo Magistro audiissent, ac proinde iustum in omni opere bono peccare; & nihilominus peccati stipendium esse mortem, (in qua qui non diligit, manet) ex clarissimis scripturis cognoscerent; omnino sibi desperandum viderunt, nisi sibiipsis ea effingerent, quæ fidei, religionis, & pietatis omnis fundamenta conuellerent. Nam pro fide Catholica per charitatem salutem operante, monstruosam suam, & in Ecclesia Dei ante hac nunquam auditam, ideoque ab illis ipsis haud immerito, specialem dictam, introducunt; hoc est inanem quandam cum scriptura, ratione, & secum pugnantem fiduciam, seu potius præsumptionem: cui equidem arbitror diuina prouidentia à suis inuentioribus id nominis inditum, ne quis fallatur, & Catholicam seu vniuersalem esse putet. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissol-*

*Fides specialis præsumptio infernalis.*

1. Ioan. 3.  
Ephes. 1.  
Colos. 1.

*nat*

nat opera diaboli, & iusti efficiamur, ac immacu-  
 lati in conspectu Dei, idque opera & efficacitate  
 sanguinis agni immaculati, in quo abluimur;  
 quod cum verum esse nequeat, si implere DEI  
 præceptum non possumus, sed insuper in omni  
 opere, & natura sua, & omnibus circumstantijs  
 bono peccamus, omnem iustitiæ veritatem nobis  
 ademerunt, & non solum vitam sanctorum, sed  
 vnumquodque eorum opus panno menstruatæ  
 compararunt. Quid verò ne desperemus substituunt?  
 Pro vera, nobisque Dei munere inhærente  
 iustitia, imputatiuam. Videlicet agnus ille  
 Dei, non tollit, quod Ioannes ait, sed tegit  
 peccatum: & sanguis Christi Ioan. 1.  
*qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit im-*  
*maculatum Deo,* non emundauit conscientiam  
 nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum  
 Deo viuenti, sed in sua immunditie vsque  
 sordescetem, sua puritate, ne pater videat  
 obtexit: nec verum est, quod Romanâ eandemque  
 Catholicam Ecclesiam docuit Paulus: *Sicut per inobedientiam  
 vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnus  
 obediendum iusti constituentur multi,* vicitque  
 sapientiam Christi Adæ malitia, & delictum  
 dono longè maius est. Verè enim & non  
 apparenter peccatores constituti sumus,  
 propriaque iniquitate inquinati per inobedi-  
 entiam vnus hominis, iusti autem Rom. 5.  
 verè

verè per Christum nec sumus, nec esse possumus, iuxta admirabilem hominum istorum sapientiam. Manifestè enim dicit S. Ioannes:

*1. Ioan. 3. Qui facit iustitiam, iustus est.* Qui autem in omni suo opere etiam quantumvis bono peccat, non potest facere iustitiam, nisi forte idem sit peccatum & iustitia, hoc est, Deo-  
pus & Diaboli. Ex his principijs tam egregijs id euidenter efficitur, omnem merendi rationem operibus misericordiae, pietatis, ac religionis detrahendam. Quod si Apostolo reuelatum fuisset, nequaquam Hebræos hortando sic allocutus esset: *Beneficentia & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* Neque idem illud: *Nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem.* Nec alius Apostolus in sua Epistola (quam stramineam dixerunt, qui cõsumuntur, quasi stipula ariditate plena) dixisset: *Qui perspexerit in lege perfecta libertatis, seu (vt alij legunt) in legem perfectam, & permanferit in ea non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Debebat enim nouisse, neminem posse permanere in lege perfecta libertatis, seu in lege perfecta, nec opus eius facere, & facta nostra non nisi peccata esse, tantum abesse, vt quispiam in facto suo beatus futurus sit. Sed nec sapiens dixisset: *omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Non dixisset  
Chri.

*Hebræ. 13.*

*Nahum. 1.*

*Hebr. 10.*

*Iacob. 1.*

*Eccles. 16.*

*Matth. 6.*

*Matth. 5.*

Christus ieiunantibus ac orantibus à patre Cœlesti reddendam mercedē, nec iniuriam patiētibus copiosam in cœlo esse repositam. Hoccine est religionem euertere, iustitiam tollere, & Christum ipsum proscribere? Sed ita decuit homines impios, qui gratiam Dei nostri in luxuriam transtulerūt, quiq; olim in hoc iudicium præscripti sunt, viam Dei & quæcunque sancta ignorant, blasphemare.

Cæterum tuæ diligentix ac pietatis esse putes, studiose Catechista, ad impietatem radicitus euellendam, ac solidam pietatem in teneris pectoribus plantandam, ad veram intelligentiam mandati peruenire, in quo pendent lex & Prophetæ, eamque quanta fieri poterit perspicuitate animis auditorum infigere. Huc enim spectant, quæ paulò longius hic præfati sumus. Nitemur nos quidē præceptum ipsum pro more Catechistico quæstiunculis dilucidare. Si quæ tamen tibi explicandi magis perspicua ratio occurrerit, vtère. Cum auditores maioris doctrinæ non sunt capaces, Catechista saltem ex infra positis ea exponet, quibus asteriscos præfiximus.

PRI-

PRIMI ET MAXIMI IN LEGE  
mandati expositio.

Matth. 22. DILIGES DOMINUM TVVM  
ex toto corde tuo, & in tota anima tua,  
& in tota mente tua.

*Hoc maximum mandatum dilectionis, quæ est plenitudo legis, potest ne in hac vita à quoquam seruari?*

*Ex Iansf.  
Concord.  
Euangel.  
cap. 81.*

**Q**ui suum Euangelium, pugnans cum Dei Euangelio, nostro sæculo, primus in orbem inuexit, seruatu impossibile docuit sicut & illud: Non concupisces: & ne sine ratione insanire videretur, fieri non potest, inquit, quin in hac vita homo amet alia præter Deum, quem proinde non potest diligere ex toto corde. Rursum quia non potest fieri ut homo diligat Deum concupiscentia & affectu carnis, ut quæ semper voluntati diuinæ contranitur, non potest ergo ex omnibus viribus animæ Deum diligere.

*Vide præ-  
fationem  
ad Cate-  
chistam  
huic præ-  
cepto præ-  
fixam.*

*Tu verò quid de hac doctrina censes?*

Dogma hoc non doctrina sed blasphemia atrox vocari debet, totam Christianam religionem nudo capite, ut dicitur, impetens. Vnde B. Hieronymus & suo, & omnium Christianorū nomine, ad Damasū scribens sic ait: *Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt*

dicunt aliquod impossibile homini præceptum esse,  
& mandata eius non posse à singulis seruari.

*Quare vocas blasphemiam?*

Primò, quia cum scripturis manifestè  
pugnat dicente S. Ioanne : *Qui dicit se nosse* 1. Ioan. 2.  
*Deum, & mandata eius non custodit, mendax est,*  
*& in hoc veritas non est.* Et rursus: *Hæc est cha-*  
*ritas Dei, vt mandata eius custodiamus: & man-*  
*data eius grauiam non sunt.* Quod dilectus dis-  
cipulus ex ore magistri sui Domini IESV di-  
dicit, qui dixit: *Qui habet mandata mea, & ser-* Ioan. 14.  
*uat ea: ille est qui diligit me.* Vnde & alibi dul-  
cissimus Dominus laborantes & oneratos ad *Matth. 11.*  
*se alliciens: Venite ad me, (inquit) omnes qui labo-*  
*ratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iu-*  
*gum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum*  
*& humilis corde, & inuenietis requiem animabus*  
*vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.*

Secundò, repugnat hæc intelligentia  
ipsis mandati verbis. Requiritur enim hoc  
tantum, vt Deum diligamus ex tota forti-  
tudine, vt Deut. 6. legimus, hoc est, ex tota  
virtute, vt est apud Marcum, seu omnibus  
viribus nostris, vt apud S. Lucam reperimus:  
quantum videlicet possumus & humana  
fert fragilitas.

Tertiò, de Iosia apertè dicitur, quod re-  
uersus sit ad Dominum in omni corde suo & in to- 4. Reg 32  
ta anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta om-  
nẽ legem Moysi. Et de Dauide: Nõ fuisti sicut ser- 3. Reg. 14.

uus

*uus meus David, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. Et de eodem adhuc manifestius: De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, videlicet de omni corde suo, alioquin non esset laus hæc illi singularis.*

*Quartò, tollit redditque prorsus inanem Domini nostri incarnationē ac totum verbi œconomiam, Apostolo dicente: Lex Spiritus vitæ in CHRISTO IESU, liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Et Gabriel Da-*

*aniel. 9. nieli indicauit, Christo veniente consummandam prauaricationem, delendam iniquitatem, & adducendam iustitiam sempiternam. Quod si querentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores, quod omninò fieri necesse est, si legem implere non possumus, sed in omni opere etiam bono peccamus, nunquid Christus peccati minister est? Absit.*

*Commonstrasti euidenter dogma illud IESVM sol- uere. Quid verò ad SS. Patres Augustinum & Bernardum dicemus, ex quibus Heliam suum Aquilonarem doctrinam illam hausisse prætendunt nouatores?*

Tam



Tam illi longè à vera intelligentia SS. Patrum August. & Bernardi absunt, quam à vera religione sinceraq; pietate vacui, quod ex ipsa mandati interpretatione fit manifestissimum.

*Illam itaq; nobis ediffere.*

Ante omnia, quid per illud (*DILIGES*) præcipiatur scire necessarium fuerit: deinde, quonam modo illa totalitas toties repetita accipienda: ad extremum, num inter se differant, cor, anima, mens, virtus, vires, fortitudo, & quo discrimine.

*Placet. Expone primum illud DILIGES.*

Duobus id modis accipi potest: vno quidem vt eo præcipiatur specialiter actus & operatio atque affectio voluntatis, quæ dilectio dicitur, qua homo affectu & actu fertur in Deum, tanquam rem summè bonam: alio modo, vt non tantum actualis & interna illa affectio voluntatis eo verbo præcipiatur, sed & dilectio, quæ habitualis dicitur, & est in homine etiam cum de Deo non cogitat, nec in illum actu affectione fertur, cuius ratione etiam omnia hominis opera, quæ ex illa profluunt, pertinent ad mandatum dilectionis. Si priori modo intelligas mandatū est speciale, si posteriori, generale comprehendens omnia quæ Deo sunt placita.

Q

Sub

*Sub obscura, vt hebeti sum ingenio, hac  
mibi videntur.*

Gen. 24.

Det tibi Deus intellectum, meque in explicanda hac re vtilissima, commodum sibi dignetur facere instrumentum. Cum Deus animam hominis sibi despondet, monili ipsi non minus, quam Rebeccae Isaac, variis & insignia largitur, quibus non solum ipsa supra quam dici potest, exornatur, sed & idonea fit, ad afficienda regia opera, & hostes Dei debellandos. In his primas obtinet Charitas, cuius exercitium propriaque operatio dilectio est. Post hanc Fides, Spes, Iustitia, Temperantia, & cæteræ tum virtutes, tum Spiritus Sancti charismata sequuntur, quæ singula suas etiam operationes habent. Cæterum quia hæc ipsa eatenus nos Deo commendant, quatenus regina virtutum charitate iubente exeruntur, qui ea exercet, Deum diligere dicitur: Diligit itaque proprie, vt priori modo accipitur, qui proprium charitatis actum exercet: Diligit largo modo iuxta posteriorem acceptionem, qui charitate impulsus, opus quodcunque bonum facit.

*Intellexi, laus Deo, perge frange & explica  
illud rotum.*

Totalitas illa accipi potest, vt significetur omnem vim animi intendendam ad dilectionem Dei, ita vt homo præter Deum nihil

nihil diligat, & tantum diligat, quantum ab eo est diligibilis. Accipi etiam potest vulgari modo, quo dicimus aliquem totum esse in studijs, & toto corde studijs addictum esse, quia videlicet præcipua eius occupatio & cogitatio est in studijs.

*Quid inde?*

Si totalitas primo modo accipiatur, siue verbo *DILIGES*, intelligatur præcipi specialiter actualis voluntatis affectio, siue habitualis, & generaliter etiam omnium externarum dilectionis per opera demonstratio, certum est hoc præceptum in hac vita impleri non posse. Fieri enim non potest, ut homo affectuali dilectione, sic toto corde in Deum feratur, ut nihil aliud vel actu, aut habitu amet, aut tam perfectè eum complectatur, quam amari ab eo potest, quod propter annexam concupiscentiam carnis, aliquid affectionis habeat cor ad ea quæ sunt carnis & non Dei. Nec opera illa externa sic toto corde ab homine fieri possunt, ut omnis vis cordis in ea intendat, cum ex parte aliqua cor per carnis concupiscentiam vitiatum, in contraria, nempe carnalia, saltem habitu feratur.

Si verò totalitas accipiatur secundo modo, non est dubium, quin impleri possit hoc præceptum, siue accipiatur, ut sit speciale, siue ut sit generale.

Q 2

*Quid*

\* *Quid ergo est dilectione actuali interna Deum ex toto corde diligere?*

Est in ipsum vt in summum bonum p[er] affectu, ac propensa voluntate ita ferri, vt præponat eum vniuersis rebus commutabilibus, ac pro supremo vitæ suæ fine eligere, & malle quibuslibet potius quam Deo carere, ac demum summopere desiderare, vt vniuersæ torius vitæ suæ actiones illi sint plenissimè subiectæ, etiamsi non ignoret, id per carnis imbecillitatē nequaquam futurum.

\* *Quo modo impletur hoc præceptum, si vt generatim mandatum intelligi debet?*

Si ita intelligamus, vt non tam exigentem actualem illam affectionem, quam habitualem dilectionem cum operum bonorum exhibitione, quæ sunt internæ dilectionis testimonia, tunc diligitur Deus ex toto corde, cum quis ex intima & sincera erga Deum affectione occupatur potissimum in his quæ Dei sunt, præ omnibus illi placere studens, ac sollicitus vt non quædam Dei mandata perficiat, sed cuncta, idque non segre, nec tristi animo, sed grauitate & hilaritate dolens ex animo, si quid vel ab alijs, vel à se per carnis infirmitatem admittatur contrarium diuinæ voluntati. Id vt non ab omnibus æquè perfectè præstatur, ita non omnes qui Deum diligunt ex toto corde, æquè perfectè diligunt, sed vnus alio magis.

Scire velim an præceptum hoc secundum mentem  
 legislationis & verum scripturæ intelle-  
 ctum sit speciale, an potius ge-  
 nerale?

Quidam speciale esse arbitrantur affir-  
 matium, quod quidem obliget semper, sed  
 non pro semper, vt loquuntur. Proinde dis-  
 putant quo tempore obliget, quo opus sit  
 hunc voluntatis affectum elicere, & per eū  
 dicto modo ferri in Deum: quod profecto  
 vt est summè vtile & meritorium, ita diffi-  
 cillimum ei, qui nondum renunciauit car-  
 nalibus affectibus. Sed quia Dominus in  
 hoc & secundo dilectionis præcepto vni-  
 uersam legem & Prophetas, hoc est, omnia  
 alia mandata compræhendi dicit, manifestū  
 fit, non vt generale mandatum esse accipi-  
 endum. Et vt S. Bernardus ait, vbicunque in *Serm. 50.*  
 scripturis dilectio exigitur, non tam exigi-  
 tur dilectio affectus, quam charitatis opus. *sup. cant.*  
 Cum enim Dominus dixisset: *Diligite inimi-* *Matth. 5.*  
*cos vestros*; mox velut indicare volens, quo-  
 modo sint diligendi, infert de operibus: *Be-*  
*nefacite his qui oderunt vos.* Et de sui loquens  
 dilectione: *Si quis diligit me, sermonem meum*  
*seruabit.* Et B. Ioannes: *Non diligamus verbo* *Ioan. 14.*  
*neque lingua, sed opere & veritate,* significans  
 eam veram esse dilectionē, quæ in operibus  
 consistit atque eam exigi præceptis dilectio-  
 nis. Hinc cum Dominus de Dauide testatus  
 esset

Q 3

esset

efficit ipsum impleuisse præceptum dilectionis, sequendo ipsum in toto corde suo, quæ ratione id præstiterit, explicat dicendo: *3. Reg. 14.* *studuit mandata mea, faciens quod placitum esset in conspectu meo.*

*Quando impletur præceptum hoc in habitu seu externa operatione?*

Cum homo in omni operatione sua retinet habituales dilectionem, quod tum fit, cum nihil vult aut facit dilectioni Dei contrarium.

*Quomodo distinguuntur in præcepto hæc, cor, anima, intellectus, vires, fortitudo?*

*Dent. 6.* Pro horum explicacione & distinctione varia nimis à varijs dicuntur. Hebræi pro eo quod in Deuter. legimus ex tota fortitudine tua, ex tota substantia, ex diuitijs tuis contendunt esse vertendum, sicque exponunt, vt primum præcipiatur diligere Deum ex toto corde, quia cor est, quod opus bonum vel malum faciat. Deinde ex tota anima, vt etiam si causa requirat, non trepides pro eo exponere animam, id est, corporalem vitam. Postremò ex tota substantia tua, vt scilicet potius omnium rerum tuarum dispendium incurrere velis, quam ab amore Dei deflectere. B. Thomas per cor, quod primo loco ponitur, voluntatem intelligit: per reliqua autem tria, tria actuum principia, quæ mo-  
nentur

uentur à voluntate: intellectum scilicet, qui per mentem significatur: appetitum inferiorem, qui per animam: vim executiuam exteriorem, quæ per virtutem seu fortitudinem aut vires: vt præcipiatur nobis diligendus Deus sic, vt tota nostra intentio in Deum feratur, quod est, ex toto corde: & intellectus noster subdatur DEO, quod est, ex tota mente: & appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est, ex tota anima: & exterior noster actus obediat Deo, quod est, ex tota fortitudine.

Chrysof. super Matthæum accipit contrario modo quam dictum est, cor & animã. Aug. lib. I. de doctrina Christiana, refert cor ad cogitationes, animam ad vitam, mentem & intellectum.

Quidam dicunt ex toto corde, id est, intellectu: animã, id est, voluntate: mente, id est, memoria.

Secundum Gregor. Nisenum cor significat animam vegetabilem; anima, sensitivam; mens, intellectiuam: vt significetur debere nos ad Deum referre, quod nutrimur, sentimus, intelligimus. Sunt & alij modi quibus plerique hæc distinguunt.

*Quæ ex omnibus præferenda est interpretatio?*

Sunt bonæ ac vtilis omnes, ad mentem scripturæ tamen loquendo, non videntur curiosè distinguenda cor, mens, fortitudo,

Q 4 & vi-

& vires, sed in corde reliqua omnia includi, quæque non nisi maioris explicationis gratia adiecta videntur. Nam in scripturis aliquando illud, in toto corde solum ponitur; aliquando additur secundum, nempe ex tota anima; aliquando etiam tertium ex tota fortitudine seu virtute ac viribus tuis, cum tamen idem semper scriptura velit significare. David in toto corde dicitur secutus Dominum, Iosias ex toto corde, anima & virtute. Samuel hoc tantum exigit à populo ut reuertantur ad Dominum ex toto corde, idem proculdubio quod Moyses exigens, qui omnia præcepto inclusit.

3. Reg. 7.

\* *Quomodo quæ cordi adijciuntur, id ipsum declarent, expone.*

Cordis nomine & intellectus & affectus includitur, proinde ad illius explicationem additur, ex tota anima & mente, quorum illud affectum, hoc verò intellectum significat, vnde apud Marcum pro mente habemus intellectum.

Rursum ad hoc ut toto corde quis dicatur aliquid facere, necesse est ut pro virili faciat, vnde explicationis gratia adiectum est ex tota fortitudine tua.

4. Reg. 10.

Denique ut non aliqua faciat, alia negligat, sed quæ præcepta sunt omnia. Hinc etiam Iehu dicatur fecisse quod rectum erat, & omnia



nia quæ erant in corde Dei contra domum Achab, quia tamen non recessit à peccatis Ieroboam, dicitur nō ambulasse in lege Domini Dei Israel in toto corde suo.

*Expeditis tribus quæ illis in verbis præcepti obscura erant, pone mihi nunc ob oculos claram præcepti expositionem.* \*

Diliges Dominum Deum, &c. hoc est: Non tantum timeas Dominum Deum, tum, sed etiam diligas, idque non lingua tantum & verbo ( sicuti de quibusdam dicitur: *Psal. 77. Dilexerunt eum in ore suo, cor autem eorum non erat rectum coram eo* ) sed etiam ex corde, neque corde diuiso & remisso, sed toto, id est *Ex toto corde.* integro, feruenti ac perfecto.

*Intelligo. Caterum, qui id verè præstabo?* \*

Primò, Ante omnia requiritur vt perpen- *Ex tota anima.* sa Dei erga homines summa bonitate, eiusque æquitate & perfectione animaduersa, sic toto affectu in illum tanquam summum bonum feraris, vt nihil illi in amore præponas, aut in amoris æqualitatem admittas, sed illum præ omnibus internè ames: reliqua propter illum, aut saltem non contra eius voluntatem aut præceptum.

Secundò, Deinde vt mente & cogitatio- *Ex tota mente.* ne sic circa illum occuperis, vt in omnibus vijs tuis illum cogites, omnium tuarum feriarum actionum & studiorum illum tibi

Q 5 finem

finem præstituens, ac nunquam illius penitus obliuiscens, sed, semper sollicitè cogitans die ac nocte.

*Ex tota  
fortitudi-  
ne, virtu-  
te, & vi-  
ribus tuis,*

Tertiò, Postremam vt quæ nouisti illi grata esse, quem interna dilectione prosequeris, exequi studeas, idque non ex parte sed ex toto, nec frigidè, negligenter aut animo tristi, sed pro virili, & quantum humanæ vires ferre possunt, omni diligentia & sedulitate, sollicitus ne quid prætermittas eorum, quæ tibi ab eo sunt præcepta.

\* *Quid ex hac oppositione colligendum?*

Primò, Qui ex toto corde Deum diligit, illum propter se diligere potissimum, non autem præcipuè ob bonum ab illo consequendum: alioquin homo se plusquam Deum diligeret.

Secundò, Eundem Dei dilectorem non tantum omnium rerum temporaliù iacturam, sed etiam vitæ propter illum ferre paratum esse: & si quando res exegerit etiam ferre potius, quàm illum offendere: Alioquin illa magis quàm Deum diligeret.

Tertiò, Ipsum Dei honorem in omnibus & ante omnia desiderare, & spectare, cum id sit diligere amico bene velle, Deo autem nihil optari potest boni, nisi honor.

Quartò, Quæcunque Dei sunt, amare, ac bene erga ea affici: contra quæ, Deo sunt ingrata,

grata, perfecto odio prosequi, adeo ut ipsum maximè torqueat improborum dereliquentium legem Dei, vita, nec alia vlla re magis animo discutiatur, quam cum contingit ipsum in aliqua re Deum offendisse, aut quod non perfectius eius voluntati obsecundet.

Quintò denique, qui ex toto corde Deum diligit zelo accensus, omnibus quæ diuino honori derogant pro viribus resistere studet. Hisce quasi quinque notis an Deum ut oportet diligas, probare potes.

*Videor mihi magnū illud mandatū affecutus, ideoque Deo fonti sapiētiae ex intimo cordis affectu gratias ago. Id verò demiror, si magnus ille Augustinus Luthero, ut dicunt tam enormiter contra scripturam blasphemandi ansam dedit.*

Calumnia isthæc est in sanctum ac doctissimum Patrem, nec vnquam quæ blasphemant hæretici S. Augustino in mentem venerunt. In libro eius de perfectione iustitiæ sic legimus: *In plenitudine charitatis præceptum istud implebitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: Nam dum adhuc est aliquid concupiscentiæ, & vel continendo frenetur, non omni modo diligitur Deus.* Similia habet D. Augustinus

in

in plerisque locis, de præcepto, Non concupisces. In quibus non negat non posse impleri, sed non omnimodo; id est, perfectè ut in vita futura. Deinde B. Augustinus in præcepto illud ( totum ) accipit aliquando pro totalitate primo modo sumpta, atque ob id asserit non posse in hac vita impleri, secutus fortè eum huius præcepti intellectum ( qui tamen vsitato more loquendi scripturæ non conuenit ) ut hoc præcepto reprimeret Pelagianorum errorem & iactantiam. Verum idem Augustinus docet mandatum hoc sic intellectum, non esse homini infirmo sub pœna peccati mandatum, sed tamen propositum, ut scopum & finem ad quem conari homo debeat, ut aliquando perueniat. *Cur ( inquit ) homini non præciperetur ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Hic videre licet B. August. primum affirmare, perfectionem illam iustitiæ præceptam esse homini, deinde explicare rationem, qua præcepta est, nempe non ut reum faciat eum, qui non præstat, quod tamen includitur in ratione præcepti propriè dicti, sed ut veluti præscriptum quoddam, & ordinatio, demonstret homini finem, ad quem in vitæ stadio conari debet & contendere, Sequutus est B. Aug. S. Bernardus: *Non tam inquit,*

inquit, præcipitur dilectio affectus, quam charitas operis: Aut si placet tibi magis de affectuali fuisse datum mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas, & tu mihi, quod minimè in vita ista ab hominum vlllo possit vel potuerit impleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fateatur non comprehendisse? Nec latuit Præceptorem, præcepti pondus excedere vires hominum, sed iudicauit utile ex hoc ipso sua illos insufficientia admonere, & vt scirent sane, ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret: Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit sed humiles, Hæc Bernardus. Ex quibus patet Augustinum & Bernardum dum dicunt hoc præcepto aliquid impossibile præceptum, non loqui de præcepto propriè dicto, cuius est reum facere eum, qui ipsum non adimplet, sed vt sit quoddam præscriptum, & ordinatio & directio quædam, quomodo præceptum posset dici militiæ Ducis: cuius, mandantis militi, vt urbem expugnet. Lutherus verò intelligens hoc præcepto perfectissimam dilectionem, & iustitiam homini in hac vita impossibilem præcipi, voluit etiam sic intellectum propria ratione dici præceptum, Ex quo intellectu, sed falso & blasphemio, sibi que proprio, quales hæreticorum esse solent, rectè efficaciterque colligit, neminem in hac vita vlllo modo posse hoc mandatum seruare, & iustum in omni opere bono peccare.

no pec-

no peccare. Quæ quidem blasphemia nõ minus cum Sanctorum Augustini & Bernardi doctrina, quam omnium Catholicorum, & scriptura vniuersa pugnat.

*Legem,  
Prophetas  
& Christum  
ignorant  
Lutherani*

Sed & hinc conficitur euidenter Lutherum, eiusque sequaces legem & Prophetas, ac proinde etiam Christum, cui testimonium perhibent, ignorare, quando perperam accipiunt, id ex quo Lex & Prophetæ pendet. Et rursus, sicut in sano huius præcepti intellectu scriptura vniuersa, & quæ secundum pietatem est doctrina pendet: ita doctrina vniuersa ex proprio ipsi hæresiarchæ, ex prauo primi mandati intellectu, veluti putrido fonte hæresis deriuatur, estque veluti origo, vnde dimanat, irrationabilis impietas & blasphema eius doctrina vniuersam evertens pietatem, conuellens scripturam & Christum proscribens. De doctrina ei propria loquor. Nam quæ à sancta Romana Ecclesia mutuauit nostra sunt, quæ nisi putentibus dogmatibus à se confictis miscerentur, sua ipsorum manifesta absurditate penitus conciderent. Eant nunc Lutherani, & apud cæcum vulgus à se seductum, de scripturarum, Euangelij, & Christi eximia scientia sese iactitent.

*Ex quali  
fonte hæ-  
resis Lu-  
therana  
manarit.*

DE

DE PRÆCEPTIS  
ECCLESIAE.*Quot sunt praecepta Ecclesiae?*

**Q** Vinque praecepta Ecclesiae praecepta-  
nibus fidelibus merito tenenda, enu-  
merant plerique; sed non eadem omnes; sunt  
enim non pauci, qui aut omittunt primum  
de festis celebrandis, aut illud cum secundo,  
de audienda missa, in vnum contrahunt, &  
tribus reliquis quoddam de decimis soluen-  
dis adijciunt.

Canisius vero decimas ipsas, quo ad sub-  
stantiam Deo eiusque ministris ac pauperibus  
naturali ac diuino iure deberi prudenter ad-  
uertens, non retulit ipsas inter Ecclesiae prae-  
cepta. Qui enim has aut non soluunt, aut  
non integre quatenus Dei oblationes exi-  
stunt, contra primum, quatenus Ecclesiae  
ministris debetur, contra quartum; ac denique; vt  
pauperum, viduarum ac pupillorum annona sunt  
in septimum decalogi mandatum delinquent.

Veruntamen nec male, nec sine fructu alij  
in quinque Ecclesiae praeceptis suum dant deci-  
mis locum quandoquidem non nisi Ecclesiastico  
iure cautum sit, & si opus fuerit, in quavis Ec-  
clesia statui possit qui illas reddere teneantur  
de quibus item rebus, & quotam partem.

Ceterum expedit atque adeo necessarium est,  
hoc praesertim tempore, hanc doctrinam oppor-  
tune & importune persequi non tam in Ecclesiae

mini-

ministris sint prouentus pinguiore sicuti quispiam calumniare posset, quam ut munifica pietate & pia munificētia populus Christianus se Deo suo fidelem præbens munificam in se ipso diuinæ liberalitatis benedictionē experiri mereatur. Sunt & aliæ causæ tum multæ, tum graues quas prudens Catechistes, vel ex breui quæ hic subiungitur tractatione facile colliget.

Nos autem ut nec numerum præceptorum passim receptum, nec præcepta ipsa immutarem; ac nihilominus necessariam hanc doctrinam nequaquam negligeremus ad finem quinti Ecclesiæ præcepti quasi per appendicem.

---

QVOT SVNT PRÆCEPTA  
ECCLESIAE.

Præcipua quinque numerantur.  
PRIMUM.

Statutos Ecclesiæ festo dies celebrato.  
SECUNDUM.

Sacrum missæ officium diebus festis reuerenter audito,  
TERTIVM.

Indicta certis diebus ieiunia & à quibusdam cibis abstinentiam obseruato.  
QVARTVM.

Peccata tua sacerdoti proprio aut alteri cum eius facultate singulis annis confitetur.  
QVIN-



## QVINTVM.

Sacrosanctam Eucharistiam vt minimum semel in anno idque circa festum paschæ sumito.

His annumerandum, quidquid sancta mater Ecclesia præscripserit ordinaueritque ad meliorem illius naturalis ac diuini iuris obseruationem, quo integra, perfecta bonaque fide decimarum solutio præstanda decernitur.

*Quid exigit primum præceptum?*

Vt religiose obseruemus ferias indictas. Sicut enim in veteri testamento non solum præcipiebatur Sabbathi obseruantia sed etiam aliarum solemnitatum: haud secus in nouo Testamento non solum diei Domini præcipitur sanctificatio sed etiam aliarum solemnitatum.

*Quomodo celebrandi sunt Christo festi dies?*

Si obseruatis ijs quæ in tertio Dei præcepto traduntur, de cultu sacrorum dierum, ea crediderimus quæ eo tempore in Ecclesia celebrantur, maxime si ad fidei articulos spectant: Vt, in festo Trinitatis debemus credere, quod Deus est vnus in substantia & trinus in personis, inter se per omnia æqualibus. In festo Natiuitatis, quod Iesus Christus Dei filius ex Maria Virgine natus. In pas-

R sione,

sione, quod pro nobis passus, mortuus & sepultus est. In festo Ascensionis, quod ad cœlos ascendit. In festo Pentecostes quod Spiritum Sanctum discipulis suis misit. In festo Corporis Christi, quod Iesus Christus Dei Patris & hominis matris vnigenitus Filius verissime continetur in Eucharistia. In festo omnium Sanctorum, quod animæ eorum quæ in hac vita bene vixerunt, nunc cum Christo lætantur in cœlis. In commemoratione mortuorum quod est purgatorium, post quod animæ ad vitam gloriosam ascendent resumptura in die nouissimo corpus gloriosum.

*Qua ratione pie & cum fructu sanctorum festiuitates celebrantur.*

Respondet D. Bernardus. Tria sunt quæ in festiuitatibus sanctorum vigilantiter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram.

Auxilium eius quia qui potens in terra potentior est in cœlis ante faciem Dei sui, si enim dum hic viueret misertus est peccatoribus: & orauit pro ijs nunc tanto amplius, quanto verius cognoscit miserias nostras orat pro nobis patrem, quia  
beata

beata illa patria charitatem eius non immi-  
nuit sed augmentauit : neque enim quia  
impassibilis omnino, ideo & incompassi-  
bilis factus est, sed nunc potius sibi induit  
viscera misericordiae cum ante fontem mise-  
ricordiae existit.

Debemus etiam attendere exemplum  
eius, quia quamdiu in terris visus, & cum  
hominibus conuersatus est ; non declina-  
uit ad dexteram, neque ad sinistram sed  
regiam viam tenuit, donec veniret ad il-  
lum qui dicit. Ego sum via veritas & vi-  
ta &c.

Sed & diligentiori intuitu confusionem  
nostram inspiciamus, quia homo ille ( ni-  
mirum sanctus ) similis nobis fuit passibi-  
lis ex eodem lutu formatus, quo & nos,  
Quid ergo est, quod non solum difficile, sed  
& impossibile credimus, vt faciamus opera,  
quae fecit, vt sequamur vestigia eius, &c.

Beatus item Augustinus sic breuiter &  
pie. Populus Christianus memorias marty-  
rum religiosa solemnitate concelebrat & ad  
excitandum imitationem & vt meritis eo-  
rum confocietur atque orationibus adiu-  
uetur.

*Quid secundo precipitur?*

Vt diebus festis sacrosancto

Missae sacrificio integro intersimus

R. 2. corpo-

corpore & mente, hoc est animo eo tempore Deo vacandi.

*Quid nam agit Ecclesia in hoc missæ sacrificio?*

Duo præcipuè. Primo perficit Sacramentum Eucharistiæ pro vt Christus instituit oblatione scilicet eius, vt sacrificij: Consecratione & sumptione, vt sacramenti. Secundo. Ad hæc nos præparat per commemorationem & repræsentationem & vitæ & mortis Christi. Sic enim ipse præcipit, hoc (inquiens) facite in meam commemorationem. Ad quod omnis illa solennitas, & maior, quam in reliquis Sacramentis seruetur, tendit.

*Explica quomodo hoc fiat in Missa.*

Vita Christi Saluatoris nostri in tres præcipuas partes distribuitur, scilicet ingressum in mundum vsque ad initium prædicationis, progressum in prædicatione, egressum in passione & morte: in qua etiam tria præcipua ad salutem nostram iuxta prædictam distributionem inuenimus ab ipso completa, scilicet sui humiliationem atque occultationem, manifestationem Patris & cæterorum ad nostram salutem pertinentium: Tertium demum oblationem sui ipsius, qua placauit Patrē & satisfecit pro peccatis nostris. Ita etiam missam tribus partibus Ecclesia compleuit.

Prima

Prima est præparatio & humiliatio nostri, primæ parti vitæ Christi respondens, quæ primis orationibus terminatur.

Secunda est instructio, quæ vsque ad symbolum fidei durat & Christi prædicationi respondet.

Tertia est perfectio atque consummatio Sacramenti, passionem exprimens. Dic quid illa parte fiat & repræsentetur.

Cum sacerdotem egredientem ex sacratio, vestibus sacris ornatū, & appropinquantem altari intueor. Christum considero excubili sacratissimo virginalis aulæ, tanquam sponsum de thalamo procedentem, fragilitate quidem naturæ nostræ vestitum, sed eadē mira gratia & virtutibus decorata: moxque sese offerentem passioni & cruci, quam altare significat. Inclinatio vero illa sacerdotis, & peccatorum confessio aperte mihi ostendit quod ipse Christus in similitudine carnis peccati natus, sese deiecit vsque ad solum & præsepe, & vsque ad remedia peccati in circumcissione, & baptismo sumēda: quo sic nos humiliaret, & vere exaltaret coram Deo.

*Prosequere cætera.*

Cantatur interim solenniter aliquid, præcipuè ex Psalmis, deinde repetitur imploratio illa misericordiæ magnis vocibus. Kyrie Eleison: quæ patrum desideria de aduentu

R 3

Christi

Christi, quæ ex cognitione præsentis miseriarum, cum imploratione misericordiarum Deo offerrebant, repræsentant, & accendunt in me desiderium participandæ huius gratiarum, id noui aduentus Dei in animam meam, quæ omnia intelligo mihi in Missa offerri. Quare cum illis patribus clamo. Utinam dirumperes cælos & per nouum gratiarum effectum, in me, in nos omnes & in Ecclesiam descenderes. Miseriæ etiam huius vitæ & propriæ fragilitatis cognitione clamo: Domine miserere mei. Post quæ iam in diebus lætitiæ hymnum angelorum quem in natiuitate Christi cantarunt, audiens, gaudia cœlestia propter aduentum Christi, & salutem nostram cogito.

*Recte quidem hæc, sed comple reliqua huius partis.*

Tunc demum salutatio illa sacerdotis, quæ sæquitur, Dominus vobiscum, mihi significat, quomodo Christus in suo illo primo ingressu & natiuitate humillima quidem, nonnullis sese ostendit: quamuis id modice pastoribus nimirum, & magis in præsepi, in templo Simeoni, Annæ & reliquis, Ioanni in Baptismo. Sed post illa rursus statim se abscondit sub infantia illa, fuga in Ægyptum, subiectione parentum, & deserto: quo tempore credimus illum orationibus maxime apud Patrem se exercuisse,  
cum

cum vacaret à cæteris atque illis negotium salutis nostræ egisse. Fuerunt enim hæ orationes vna ex præcipuis partibus redemptionis nostræ, & meriti eius. Paulo dicente: Exauditus est pro sua reuerentia, & hoc priores illæ orationes Missæ mihi significant & simul admonent vt dicam Deo, domine, Filij tui orationibus quas pro me fecit, & adhuc apud te facit, ac sponsæ eius Ecclesiæ simul, salua me & quæ illi pro me petunt, qui norunt quid magis conueniat, concede. Et sic respondeo ex corde Amen, amen, atque ita præparatus ad sequentia procedo.

*Explicasti primam partem vitæ Christi & missæ, dic iam de secunda?*

Christus in vita sua, post illam humiliationem atque orationem, totis triginta annis magno mysterio & exemplo expletam docere cœpit: totoque reliquo vitæ tempore vsque ad passionem docuit nos de salute æterna. Ita Ecclesia post supradictam præparationem populum docet, primo quidem lectione quadam quam epistolam vocant, ex veteri testamento vel ex Apostolorum doctrina desumpta. Postquã vt quædã cantata sunt. Euangeliũ magna cû solennitate & reuerentia annunciat moxq; solennibus diebus symbolum fidei magnis vocibus cantatur, in signum credetium ex Christi & apostolo-

R 4 rum

rum prædicatione, inter quos & nos sumus

*Dic quid hæc significant?*

Doctrinam Christi præcessit è vicino prædicatione Ioannis, quæ dispositio quædam fuit ad Euangelium, neq; enim aliud egit quam, vt ad Christum mitteret omnes idque annunciatione imminentis iudicij, vnde dicebat. Iam securis ad radicem arboris posita est: demonstratione præsentis gratiæ. Ecce agnus Dei & denique prædicatione pœnitentiæ. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Atque hanc Ioannis prædicationem Epistola illa significat. Illa vero quæ post epistolam cantantur, gemitus & pœnitentiam significant eorum, quos Ioannes conuertebat. Ac quoniam inter hos gemitus solet etiam esse magna consolatio, aliquando quoque inter hæc alleluia cantatur. Post quæ statim Euangelium ipsum per Christum & suos captum est annunciari: in quo dulcissima verba Christi, Exempla virtutum eius, miracula, indefessusque labor pro salute nostra continentur, quæ lectio euangelij significat.

*Quomodo te ad hæc habes?*

Cum harum lectionum aliquid intelligo, illud in corde recondo, vel cum nihil exponitur. Sin minus cogito Iohannem prædicantem & magno feruore ducentem homines ad Christum. Deinde Christum verbis & operibus de salute æterna instruëtem,

atque



atque ab eo humiliter peto, ut me timore sancto ad suam doctrinam disponat & aliquid eius degustare det. Ac sic in symbolo audio voces eorum qui Christo prædicanti crediderunt: ut illius mulieris clamantis. Beatus venter qui te portauit; & Petri confitentis: Tu es Christus filius Dei viui. Postremo etiam totius Ecclesiæ. Atque hanc viam fidem mihi cupio à Deo infundi, intelligens eam esse fructum doctrinæ & miraculorum Christi.

*Dic quomodo intelligas tertiam partem Missæ.*

Sicut Christus post supra dicta, totum se conuertit, ad passionis sacrificium: ut scilicet patri in odorem suauitatis se offerret, ita Ecclesia in vltima parte missæ tota est intenta ad offerendum complendumque sacrificium: idque facit miro ordine.

*Explica primum quod sit hoc sacrificium ab Ecclesia oblatum.*

Sacrificium bonum aliquod Deo gratum est quod illi à nobis offertur in recognitionem debitæ seruitutis, vel in gratiarum actionem pro beneficijs, vel certe ad impetranda quæ nobis necessaria sunt, vel postremo in satisfactionem peccatorum. His enim de causis constat in scriptura Deo oblata esse sacrificia, & horum omnium causa Christus

R 5 sese

sele obtulit sacrificium perfectissimum Patri in passione. Satisfecit enim pro peccatis, egit gratias pro beneficijs, exhibuit quam omnes debemus, seruitutem, impetrauitque omnia nobis ad salutem necessaria quod sacrificium omni ex parte gratissimū fuit Patri. Id enim quod offerebatur, & voluntas qua offerebatur, erant summè grata propter quod sacrificium, si quid ex nobis Deo placere potest, gratum est, Ideoque ipse Christus, post se ipsum omnes suos fideles tanquam propria membra, eorumque omnia in Dei laudem opera, simul etiam obtulit propter se Deo grata. Cui se cōformans Ecclesia & obediens idem etiam, quod ipse obtulit, offert Deo, scilicet ipsum Christum, & omnes eius fideles, cuncta etiam illorum bona opera.

*Ostende vbi hæc Ecclesia & quomodo offert?*

Offert Ecclesia primo terrenas illas creaturas panis & vini cum orationibus sanctis. Agnoscit enim de omni bono nobis à Deo dato, illi iuste sacrificandum esse, Inter hæc vero sunt exteriora elementa ad vitæ sustentationem creata. De illis ergo sacrificium offert, non quo Deus cibetur sed quo omnium dominus agnoscatur. Neque tamen hoc solum offert: sed intelligit pane illo & vino carnē & sanguinem Christi si-

si significari primo, deinde conuerti in ea ipsa, quæ significant : de quibus Christus dixit: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Agnoscit, etiam significari iisdem creaturis, panis & vini, vnitatem corporis mystici, in qua (vt Paulus inquit) vnus panis & vnum corpus multi sumus. Atque hæc duo etiam sub illo pane & vino offert, vt simul de omni humano bono Deo sacrificet corpus etiam Christi in passione, & sanctorum quoque corpora per martyrium, vel mortificationem sacrificium sunt Deo gratissimum. Animæ etiam & Christi, & sanctorum & eorum omnia sancta opera igni charitatis accensa Deo sacrificantur. Quæ omnia hic Ecclesia offert de exterioribus rebus, & de corporibus & animabus, vniuersale hoc Christianorum sacrificium complens, vt Augustinus ait:

*Dic qua auctoritate & quo fructu hoc fiat?*

Fit proculdubio Christi præcepto Apostolis tradito, & per illos Ecclesiæ, & perpetuo in ea obseruato. Vt sit in Ecclesia sacerdotij Christi secundum ordinem Melchisedech æterni integrum munus, ideoq; etiam visibile sacrificium Deo gratum. Fructus vero est, vt quia in multis quotidie omnes offendimus, iugiter etiam participes  
effi-

efficiamur sacrificij Christi per quod nobis remittuntur peccata, & placatur Deus. Supplemus etiã id, quod minus facimus in gratijs reddendis Deo, orandoque pro salute nostra, & debita illi seruitute agnoscenda. Communicamus quoq; Sanctorum omnium bonis operibus.

*Quantum fructum putas consequi nos hac oblatione?*

Scio certissimum esse, Deum magis respicere, ex quanta deuotione contritioneq; & promptitudine aliquid ei offerat quam quantum sit, quod offertur. Ideoque agnosco quamuis id quod in missa offertur infinitum sit, scilicet passio Christi, eius meritum & satisfactio: tantum quemlibet sibi remissionis, & gratiæ inde habere, quanta est apud Deum sua deuotio, & præparatio cordis, quantum amat & desiderat Christum, & quantum illi patienti configuratur. Ideoque ex quo illa incipit sacrificij oblatio, conor Christo & sanctorum omnium societati me coniungere, & dico Deo: Fac me Domine participem sacrificij, quod tibi in cruce obtulit Christus & quod nunc tibi offert Ecclesia. Nam illi quantum possum me conformans, quæ voluit quæ amauit Christus, amo, & volo, gloriam tuam scilicet, quæ odit, odio peccata omnia, & me ipsum totum

in tu-

in tuum obsequium & honorem cupio expendere, sicut vnigenitus tuus in passione se totum pro tua obedientia tradidit.

*Dic ordine qua Ecclesia seruat in hac oblatione.*

Ecclesia tota representando nobis Christum intenta, sicut videt ipsum proximo ante passionem tempore, completis & miraculis, & doctrina, videlicet post Lazari resurrectionem, delituisse in regione iuxta desertum, vbi maxime videtur se ad passionem parasse, seque in illo secreto, quod per totam vitam fecerat, obtulisse patri, & orasse pro nobis: quo peracto reuersus in Hierusalem cum magna solennitate, & lætitia exceptus est, cantantibus cunctis; Benedictus qui venit in nomine Domini: ita Ecclesia sacerdotem post symbolum & salutationem sequentem, quibus finis doctrinæ Christi significatur, vult in secreto: primo, offerre panis, & vini mysticum sacrificium, atque orationibus silenter dictis illud commendare. Quibus completis cum solenni cantu sacerdos incipit præfationem illam, ingressum illum festiuium Christi in Hierusalem significans. Postquam omnes canunt: Sanctus, & benedictus qui venit: vt significetur pari lætitia omnes astantes Missæ, debere Christum in Sacramento se præsentem exhibentem, excipere

cipere, ac ita ire obviam illi per sancta desideria, sicut fecit plebs illa deuota in die palmarum, & per considerationem beneficij, quod ibi exhibetur nobis, nos ipsos, nostraque omnia abnegare & contemnere coram Deo, sicut illi vestimenta sua deponentes sternebant in via.

*Explica quid agitur completa præfatione?*

Post illam solemnitatem præfationis sacerdos in secreto silentio orat, primo; pro tota Ecclesia, & pro ijs qui in sublimitate sunt, vt Paulus iubet, & in speciali pro illis, quibus tenetur, pro omnibus offerens sacrificium. Secundo implorat sanctorum patrocinia, vbi Christum repræsentat illis diebus ab ingressu Hierusalem vsque ad passionem, quem credendum est illo maxime tempore orationi & oblationi sui ipsius vacasse post doctrinam, quam illis diebus frequenter tradidit, quo enim magis passioni appropinquabit, & feruentioribus desiderijs salutis nostræ exercebatur, ac ita ego illo tempore hæc considerans quantis possum desiderijs oro cum Ecclesia pro omnibus eius membris. Post quæ omnia ad vltimam cœnam veniens sacerdos, Christum, panem & vniū consecrantem atque in suum corpus & sanguinem conuertentem repræsentat: idem etiam ipse faciens & statim præ læ-  
titia

titia spirituali non se continens, eleuat, consecrat, consecrata sacrificat, & sistit Deo, atque omnibus adoranda exhibet significans Christum exaltatum in cruce, suo sanguine irrigantem terram.

*Declara quid sequitur eleuationem?*

Iam ab illa hora Christus in cruce uiuus pendens, repræsentatur, ubi & silentio feruentissime orasse creditur & septem illas voces suauissimas protulisse. Ita sacerdos orat rursus in silentio pro omnibus, usque ad eos etiam, qui in purgatorio sunt, orationem extendens, deinde orationem Dominicam alta voce pronunciat septem continentem petitiones, in uerborum illorum signum. Itaque hoc tempore debemus omnes fideles maxime esse suspensi, ac si Christum crucifixum intueremur, ac ita orare excitantes nos ad veram compunctionem, tanquam qui digni æterna morte simus: Deinde concepta spe de tanta redemptoris uirtute clamare cum latrone: Memeto mei domine: & quanto deuotius possumus, orare Christum præsentem pro salute nostra, cogitantes illa quæ in cruce passus est & illud præcipue uerbum tenentes memoria. Sicut Moyse exaltauit serpentem in deser-

deser-

deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed vitam æternam habeat, & nos tanquam ignitis infernalis serpentis moribus vulnerati, peccatis scilicet, adoremus in similitudinem carnis peccati Christum crucifixum.

*Dic cætera quæ sequuntur.*

Post hæc diuiditur hostia quasi distribuenda. Nam quamuis nõ sint, qui Sacramentum corpore sumant, omnes tamen fideles per fidem & deuotionem efficiuntur participes eius, quod illa diuisio significat: in qua etiam mors Christi representatur. In ea enim anima eius à corpore diuisa fuit quare in memoriam clamoris illius quo exspirauit, Sacerdos etiã altiori voce clamans, annunciat pacem. Christus enim per sanguinem suum pacificauit, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ac in signum etiam terræ motus illius, quo petreæ scissæ sunt, & compunctionis quoque illorum, qui astabant cruci, & percutientes pectora sua, reuertebantur, clamat tunc Ecclesia. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, quibus omnibus nos etiam ad magnam compunctionem excitamur, & præparamur ad sumptionem Sacramenti: ut scilicet manducemus eius carnem & bibamus eius sanguinem, qui dicit. Nisi hæc manducaueritis nõ habebitis vitam in uobis. Quod si non ab omnibus sacramentaliter fit, tamẽ sacer-



faceros pro omnibus id facit, & omnes etiam spiritualiter iustum est, vt sumant. Cogito itaque tunc quomodo fumentes Christum, in memoriam passionis & mortis eius, monumentum quodammodo efficiuntur ipsius, atque oro vt si non sacramentaliter, fide & deuotione carnis eius particeps efficiat, & cor meum per continuam suæ mortis meditationem monumentum eius esse mereatur.

*Declara quæ post sumptionem fiunt.*

Sumpto iam sacramento, omnia in gratiarum actione concludit Ecclesia, atque iucunditate cordis. Et ita sacerdos gratias agēs & ex magna spe felicem illam vnionem ad Deum, quæ sumptione sacramenti significatur, consequendi, orat, vt in gloria Christi perseueremus, & ad consummationem perueniamus, nihil enim reliquum post tantam sacramenti gratiam, in quibus etiam Christi resurrectio, & apparitio significatur atque lætitia eorum quibus se ostendit; sicut enim Christus quamuis mortuus corpore, diuinitate tamen viuus, immo vita ipsa, post modicum resurrexit, ipsum sepulchrū gloriæ suæ resurrectionis illustrans, ita sumpto corpore suo viuo, sed in memoriam mortis fumentes, viuificantur, & replentur exultatione, vnde omnis illa congratulatio. Et ne quid desit, ipsa ascensio Christi, postremo

S            signi-

significatur cum dicitur. *Ite, missa est: vel benedicamus domino.* Sicut enim Christus ascendens in cœlum, erexit animos omnium ad cœlestia, & spem maximam dedit illis consequendi, & reuersi sunt, qui assiterunt ipsi ascendenti, laudantes, & benedicentes dominum, ita dicitur nobis, *Missa est, hoc est iam viua hostia Christus oblatus pro nobis patri astat perpetuo, interpellans pro salute nostra.* *Ite iam, non ad vana, & inania huius sæculi quærenda, sed ad desideranda cœlestia, & reuertimini ad vestra corpore, mente vero laudantes, & benedicentes dominum, pro tantis & tam incomprehensibilibus, beneficijs, semper gratias agite.*

*Estne concio diebus festis audienda?*

*Actor. 6.* Quamquam Ecclesia non præceperit expressè, vt singulis diebus festis audiatur concio sacra, attamen lege naturæ atque fidei tenentur Christiani ea discere, quæ saluti sue sunt necessaria: quæ cum extra sacras conciones ferè non discantur, vel certè non sint animorum motus, quos pietas requirit, vt foueantur, conseruentur, atque augeantur, non facilè licet concionem negligere, & multò minus Pastori prædicationem verbi Dei omittere. Eadem ratio est audiendi Catechisticam institutionem aliasque sacras lectiones, vbi illæ habebuntur.

*Quid*

*Quid continet tertium Ecclesiae Præceptum?*

Observantiam ieiunij quadragesimalis, quatuor Temporum, & , siquando Ecclesia præcipit , peruigilij festorum : exceptis ijs, quos Ecclesia non vult obligare ; è quorum numero sunt pueri , qui licet non obligentur totam quadragesimam ieiunare: conuenit tamen sibi aliquot dies deligere , quibus ieiunent.

*De hoc  
Hess. c. 15.  
& sequen-  
tibus.*

*Quid quartum præscribit?*

Vt dum eos annos attigerimus, in quibus peccare possumus: saltem semel in anno, nimirum tempore Paschali, Sacerdoti confiteamur de peccatis mortalibus, & de quibus dubitatur sint ne venialia, aut mortalia.

*Non sunt confitenda venialia peccata?*

Quoniam nullum est tam paruum peccatum, quod non crescat neglectū: & qui spernit modica, paulatim decidet: idcirco cum mortalibus satius esset etiam de grauioribus venialibus confiteri, & quæ conscientiam magis remordent.

*Quando alias confiteri tenemur?*

Quoties venerabile Sacramentum Eucharistiæ suscipere volumus, si modò nobis simus conscij peccati mortalis.

Obligamur præterea in mortis articulo confiteri de peccato mortali, de quo antea non confessi fuerimus, idque diuino ipso iure.

*De his  
consule ca.  
4. de pœ-  
nitentia.*

iure. Debemus enim pro viribus nos ad misericordiam præparare, quando imminet nobis iudicium damnationis aut misericordiæ. Sed quia periculosum est confessionem diu differre, propter obliuionem multorum peccatorum, peccandi consuetudinem, & mortis incertitudinem: ideò consultius esset, sæpè confiteri: quia ex frequenti confessione homo auocatur à multis peccatis, fitq; timidior ad Dei offensionem. Non quidem statim post peccatum commissum iniungit nobis S. Ecclesia, Sacerdoti de peccato confiteri; tamen optimus quisque Christianus, & qui Deum timere vult, confugiat ad contritionem & interiorem cordis pœnitentiam, cum primum agnoscit peccatum suum, cum voluntate confitendi tempore & loco. Peccatum enim quod per pœnitentiam nõ deletur, mox suo pondere ad aliud trahit peccatum, & lumen rationis excæcat.

CA-